[illegible] ANDRIESSEN

SPECIMEN LITERARIUM INAUGURALE.

Albert A. Howard

DE FIDE ET AUCTORITATE SCRIPTORUM

EX QUIBUS VITA TIBERII COGNOSCITUR

D I S P U T A T I O.

DE FIDE ET AUCTORITATE SCRIPTORUM

EX QUIBUS VITA TIBERII COGNOSCITUR

DISPUTATIO.

Zuid-Hollandsche Boek- en Handelsdrukkerij.

o

DE FIDE ET AUCTORITATE SCRIPTORUM

EX QUIBUS VITA TIBERII COGNOSCITUR

DISPUTATIO.

SPECIMEN LITERARIUM INAUGURALE

QUOD

ANNUENTE SUMMO NUMINE

EX AUCTORITATE RECTORIS MAGNIFICI

P. VAN GEER,

MATH. MAG. PHIL. NAT. DOCT ET IN FACULTATE MATH. PHYS. PROF.

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU

ET

NOBILISSIMAE FACULTATIS PHILOSOPHIAE THEORETICAE ET LITERARUM HUMANIORUM DECRETO,

PRO GRADU DOCTORATUS

SUMMISQUE IN LITERARUM CLASSICARUM DISCIPLINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS

IN ACADEMIA LUGDUNO-BATAVA

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS,

FACULTATIS EXAMINI SUBMITTET

NICOLAAS JACOBUS ANDRIESSEN,

E PAGO DE ZIJPE,

DIE XIII M. JULII A. MDCCCLXXXIII, HORA III.

HAGAE COMITIS,

APUD MARTINUM NIJHOFF.

MDCCCLXXXIII.

PARENTIBUS OPTIMIS CARISSIMIS.

PRAEFATIO.

Inter res controversas, quas Romanorum Historia praesertim aetate imperatoria bene multas inquirentibus offert, fere nulla est quae pluribus disceptationibus locum dedit, quam quae de Tiberio memoriae prodita sunt. Quum enim a scriptore eius temporis aequali effusis cumulatus sit laudibus, tum vero ab historicis, qui multis annis post Tiberii mortem mores et res gestas eius enarrarunt, gravissimis oneratus est criminationibus. Quae autem ab his posteritati tradita sunt, adeo praevaluerunt, ut per sequentia secula omnia Tiberii imago tamquam exemplum pessimi imperatoris hominum mentibus inhaereret. Ante hos demum paucos annos opiniones et judicia, quae de eo feruntur, haud mediocriter conversa sunt et commutata. Inter doctos enim non pauci exstiterunt, qui vel culpam Tiberii attenuare, vel criminibus eum liberare conarentur, quid, quod non defuere, qui defendere eum atque laudare auderent. In hac opinionum discrepantia operae pretium mihi visum est veterum scriptorum de Tiberio testimonia diligenti submittere examini. Opus aggredior nec novitate se commendans et fere majus, quam cui ingenii mei vires sufficiant, sed quum aliqua spes me tenet fore,

ut quaedam, etiamsi minuta fortasse attamen minime negligenda a me afferantur, tum certissime confidere audeo aequum et benevolum lectorem facile agniturum esse ut desint vires tamen voluntatem esse laudandam.

Jam superiore seculo aliqua dubitationis documenta reperiuntur, quae tamen nullis fundamentis nitebatur et ex studio quodam omnia in incertum revocandi oriebatur. Anno 1770 M. Linguet in libro „Histoire des Révolutions de l'Empire Romain" scripsit quaedam de Tiberio dignissima, quae legantur, ostendit non ita magnam fidem tribuendam esse Tacito et Suetonio, prorsus libidinum culpa Tiberium liberat, dubitat denique de multis rebus, quae de Tiberio memoriae prodita sunt. Eodem modo Voltaire plurimis locis fidem Tacito et Suetonio denegat, malos rumores de secessu Capreis falsos esse contendit et complura argumenta affert ad opinionem suam confirmandam [1]). Ab hoc loco haud alienum est commemorare Napoleontem, cui Tacitus displicuisse traditur [2]), sermonem habuisse cum poeta Wielando, quo dixerit Tacitum iniquum esse in principibus dijudicandis [3]).

Apud nullum scriptorem prioris partis hujus seculi aliqua dubitationis vestigia repperi, quum Niebühr [4]), Champagny [5]),

---

[1]) Voltaire, Edition complète, Paris. 1829.
Vol 41, p. 268, 307, Traité sur la tolérance.
» 44, p. 382, Le Pyrrhonisme de l'Histoire.
» 48, p. 170, Sur les anecdotes.

[2]) Garat, Mémoires historiques sur la vie de M. Suard, Paris. 1819.

[3]) Niebuhr, Vorträge über die Römische Geschichte I, p. 245.

[4]) Niebuhr, Vorträge über die Römische Geschichte.

[5]) Champagny, Les Césars. Revue des deux Mondes, 1837.

Macaulay [1]) et Wigand [2]), qui de Tiberio aliquid scripserunt, magnam fidem iis, quae memoriae prodita sint, tribuant.

G. R. Sievers primus multo acumine et summa diligentia omnia, quae Tacitus memoriae prodidit, examinavit in opusculo anno 1850 edito. Ostendit, quam saepe Tacitus judicium iniquum tulerit, causas majestatis collegit, inter quas multae sunt, in quibus Tiberius non vituperandus est, Tiberium absolvit crimine mortis Germanici, et dubitavit de omnibus, quae de secessu in Capreis narrantur, denique vitam Tiberii narravit sine ira et studio, quum neque virtutes tantum prodat neque omnibus vitiis, quae de eo memoriae prodita sint, fidem neget.

Tribus annis post V. Duruy librum edidit, quo fere idem ostendere conatus est, quum tamen paene certum sit eum librum Sieversii non inspexisse. Quae hoc libro continebantur, denuo evulgavit in praeclaro opere „Histoire des Romains". In vita Tiberii enarranda Duruy fidem negat tam narrationi, qua Tiberius Germanicum interfecisse traditur, quum causas singulas a Tacito allatas refutet, quam rumoribus de vita libidinosa Capreis; praeterea demonstrat, quam iniquus sit Tacitus, quum praeclara facta describat; at simul prudenter modum tenet, quum non neget finem regni Tiberii bono initio minime respondisse, quippe quem, delatoribus nimium tribuentem, annis postremis vitae verum tyrannum egisse contendat. Duruy laude summa dignus est, quod aequum judicium tulit et quamquam Tiberium magnopere laudavit et in plurimis rebus defendit, tamen non neglexit vitia eius indicare, quod tali in re non facile est.

---

[1]) Vide Karsten, Gids m. Mart. 1866.

[2]) Wigand, Kaiser Tiberius, 1840.

Hi duo libri tamen non ita multorum animos ad se convertisse videntur, quod nusquam inveni eos disputationibus locum dedisse. Merivale in praeclaro opere, quod anno 1862 prodiit in lucem, Tiberium mortis Germanici culpa absolvit et laudat eius virtutes bonasque artes, quum tamen eius libidines negare non audeat et delatores pestem Tiberii principatus fuisse dicat.

Nobilissimus liber de Tiberii vita anno post apparuit. Elegantissimus auctor A. Stahr vitam Tiberii scripsit libro Sieversii adhibito et diligenter omnibus fontibus exploratis studiose falsa a veris secernens. Negari non potest scriptorem modum excessisse: virtutes Tiberii ubique studiose refert at de vitiis, sine quibus nemo mortalis nascitur, tacet; compluribus locis pro certo affirmat, quae admodum dubia sunt, quo vitio praecipue laborant ea, quae narrantur de Agrippina; Tiberium fere omnium criminum, quae ei objiciuntur, absolvit. Quod tamen huic scriptori facile ignoscimus, si cogitamus eum patronum ejus viri extitisse, qui tot secula tam inique judicatus sit, qua re nimius in laude et vituperatione factus sine studio aut ira scribere non potuit. Stahr scripsit praeterea vitas Liviae, Juliae et Agrippinae prioris in libro „Römische Kaiserfrauen" et versionem sex priorum librorum Annalium, quibus operibus suam de Tiberio opinionem confirmavit. Hoc certe Stahr effecit, ut multos excitaverit ad hanc quaestionem denuo investigandam. In Germania quaedam procella contra Stahrium exorta est, quod homines aegre ferebant Taciti fidem in dubium vocari. In eorum numero, qui eum refutare conati sunt, notissimus est E. Pasch, qui edidit a. 1866 librum inscriptum „Zur Kritik der Geschichte

des Kaisers Tiberius." De quo libro assentior viro Cl. Karsten dicenti: „cujus, uti operosam miror industriam, ita judicandi libertatem et prudentiam mirari nequeo, quippe qui in longe plurimis rebus non suo sed Taciti stet judicio, quod ipsum in censum vocari oportuerat, atque, ubi semel ab auctore dissentit, spreta illius morum Tiberii descriptione aliam suggerat et multo clementiorem quam ex priore opusculi parte consequens fuisset et adeo speciosam, ut huic vel Tacitea praeferenda esse videatur." Arbitratur enim maximum Tiberii vitium fuisse regnandi cupidinem.

Vir Cl. Karsten tribus locis de hac quaestione disputavit. In diario „de Gids" invenimus sub titulo: „Eene rehabilitatie" disputationem, qua Stahrii librum laudat et explicat, quod ille efficere conatus est et judicium eius de libro Paschii [2]). Sed majoris momenti fuit liber: „De P. C. Taciti fide in sex prioribus annalium libris", qui apparuit anno 1868 et quo multa eorum, quae Stahr scripsit, confirmavit argumentis ex literarum disciplina petitis, quibus in libro Stahrii non locus erat. Demonstrat Tacitum hoc libro iniquum judicium saepe tulisse, neque ubique sibi constare et falsa multa narrasse, Tiberium expertem esse culpa occisi Germanici, non reprehendendum esse in causa Libonis, bene denique egisse erga matrem et eo imperium obtinente libertatem floruisse. Eodem anno J. W. G. van Oordt, cujus ex instructione primis annis in Gymnasio Hagano peractis multum me fructum cepisse grato

---

[1]) Contra Stahrium scripserunt inter alios Probst 1874, Leonhard 1876. Judicium eius libri reperitur: Hist. Zeitschrift, herausgegeben durch von Sybel. 1864.

[2]) Gids 1866, m. Mart., m. Aug.

animo profiteor de aetate imperatoria scripsit in libro: „Constantijn de Groote en zijn voorgangers", ubi quovis loco probat se non tantum id scribere, quod veteres scriptores memoriae prodiderint sed arte critica adhibita suas opiniones dare. Laudat Tiberium ob praeclara facta et fidem denegat rumoribus de morte Germanici; veritatem eorum, quae de secessu in Capreis traduntur, non addubitat et ejus haesitationem vituperat. Vir Cl. Naber scripsit commentationem de his libris in: „de Gids" [1]) sub titulo: „Onze kennis der eerste Romeinsche keizers", ubi percurrit historiam priorum Caesarum et pluribus verbis de Tiberio agit. Declarat sibi constare historiam aetatis imperatoriae incertissimam esse et multa in ea falsa referri, quam opinionem multis exemplis confirmat.

Liber Stahrii in Gallia quoque hominum doctorum mentes ad se convertit. Elegantissimus scriptor Boissier in „Revue des deux Mondes" [2]) disputationem de delatoribus edidit, qua libri Stahrii cum vituperatione mentionem facit. Ampère [3]) ubi historiam aetatis imperatoriae ex monumentis, quae Romae supersunt, scripsit, quamquam concedit fieri posse, ut Augustus pejor fuerit quam ex scriptoribus appareat et Tiberius melior, tamen in descriptione Tiberii veterem opinionem sequitur. Idem facit Beulé [4]), qui eodem Diario de Tiberii vita scripsit et praecipuam curam fontibus archaeologicis tribuit.

---

1) 1869 (m. Mart.).

2) 1867 (m. Dec.)

3) 1865 (m Nov.) haec disputatio etiam invenitur in libro: »L'histoire Romaine à Rome."

4) 1868 (m. Maio.) et Tibère et l'héritage d'Auguste 1868.

In Britannia Beesly in Diario „Forthnigthly Review" [1]) Tiberii defensionem suscepit; idem anno 1878 etiam librum edidit sub titulo: „Tiberius", cuius scripta tamen non inspexi.

Venio nunc ad scriptores, qui proxime de Tiberio scripserunt. Anno 1870 L. Freytag librum edidit: „Tiberius und Tacitus", qui, ut mihi quidem videtur, nimio studio abreptus Tiberii defensionem suscepit. Tacitum auctorem secutus et eum saepe refutans Tiberii vitam enarrat; Tiberium omnium criminum absolvere studet, judicium de eo libro invenimus in opere, quod edidit O. Clason „Tacitus und Sueton", ubi minime has opiniones probat. Anno 1879 Arnold Tiberii mentionem facit in libro: „The Roman system of provincial administration", quo approbantur novae opiniones. Editor Taciti nobilissimus K. Nipperdey et clarissimus auctor Historiaė Literarum Romanarum G. Bernhardy non possunt concedere Taciti auctoritatem infringendam esse. Inter historicos C. Peter artem criticam in nonnullis rebus ad Tiberii historiam pertinentibus adhibet neque in omnibus rebus Tacito assentitur et H. Schiller, qui recentissimum librum de aetate imperatoria hoc anno edidit, imaginem Tiberii, novas inquisitiones secutus, nobis proponit. Quae Mommsenii sententia de Tiberio sit, non admodum dubium est, si colligere licet ex opinionibus, hic illic ab eo prolatis, quae ostendunt eum Tiberium admirari et de fide historicorum aetatis imperatoriae dubitare. [2])

---

[1]) 1867 m. Dec., 1868 m. Jan.

[2]) L. Freytag, Tiberius und Tacitus 1870, pag. 2.
Hermes IV. Cornelius Tacitus und Cluvius Rufus.
Hermes XIII. Die Familie des Germanicus.

Quum plerique in primis Tacito operam dederint et ceteros auctores obiter tantum et strictim tractaverint, mihi propositum est hoc libello omnes scriptores excutere et indicare, quae falsa mihi videntur, postquam omnes causas collegero, quibus factum est, ut Tiberius tam prave descriptus sit.

CAPUT PRIMUM.

Si quaerimus, quae causa effecerit, ut Tiberii historia depravata et corrupta sit, primum mores Tiberii respiciendi sunt. Jam prima juventute senex appellatus est[1], Plinius eum tristissimum hominum[2] et minime comem[3] appellat, Tacitus eundem horridum vocat[4] et Suetonius de eius diritate loquitur[5]. Severus est[6], spernit honores et adulationes[7], contemnit splendorem, ludos non edit[8], aedificia non exstruit[9], bella non necessaria improbat[10], in omnibus rebus parcus est[11], in vita admodum simplex[12], nullis voluptatibus avocatur[13],

1) Phil. Jud. pag. 551 ed. Mangey, 1742.
2) Plin. Nat. Hist. XXVIII 2, (5)
3) » » » XXXV 4, (10).
4) Tac. Ann. IV 7.
5) Suet. Tib. 21.
6) Plin. Nat. Hist. XIV, 22 (38).
7) Tac. Ann. I 70, II 87, III 47, IV 6, 37, 38, 70, 64, VI, 52, Suet. Tib. 27.
8) Sen. de prov. IV 4, Tac. Ann. I 54, IV 62, Suet. Tib. 47.
9) Suet. Tib. 47.
10) Tac. Ann. II, 26.
11) Suet. Tib. 46, Cal. 37.
12) Plin. Nat. Hist. XIX 8, (41).
13) Tac. Ann. III, 37.

patienter mortes suorum fert [1]), offensionem non pavidus est nobilibus non parcit, si quid deliquerunt et eorum vituperationem non curat, quum inter homines novos Lucilium Longum [2]) et Sejanum [3]) amicos sibi eligat, beneficia sine gratiae captatione tribuit [4]), firmus est adversus pecuniam [5]), hereditates non adit [6]), labores amat [7]), negotia non gravatur, officium magni facit et omnibus rebus praeponit, intelligit munus suum omnes labores a se postulare, judiciis ipse interest, in senatum saepe venit [8]), semper intentus est saluti tam urbis quam provinciarum [9]); magnam speciem sibi animo concepit [10]), magis curae ei est in posteros ambitio quam gratia aequalium [11]). In plurimis rebus ad Romanorum veterum exemplum se componit, quo etiam pertinet, quod libenter priscis verbis utitur [12]). Vitia eius sunt, quod cunctatur [13]), quod lentus est in agendo, quod sibi et aliis non confidit, quod suspicax est, quod animi robore caret, ut ostendit in secessu repetito, quod aliquando intimas suas

---

[1]) Tac. Ann. IV 8, Sen. Cons. ad M. XV 3, Sen. Cons. ad Pol. XV 5, Dio LVII 14, 22.

[2]) Tac. Ann. IV 15. Praeclarum judicium tulit de quodam Curtio Rufo, de quo dicebat: »videtur mihi ex se natus esse." Tac. Ann. XI 21.

[3]) Vell. II 127.

[4]) Sen. de Ben. II 7, 2.

[5]) Tac. Ann. III 18.

[6]) » » II 48.

[7]) » » IV 13.

[8]) » » I 75. Suet. Tib. 33. 30. Vell. II 126. 2.

[9]) » » IV 6, IV 17, III 37. Vell. II 126. 4.

[10]) » » IV 38.

[11]) » » VI 46.

[12]) Suet. Aug. 86. Tac. Ann. IV 19.

[13]) Flav. Jos. Ant. Jud. 18. 6. 5.

cogitationes vix introspiciendas praebet, unde nata est suspicio eum aliud in pectore clausum, aliud in lingua promptum habere [1]), quod saevus est [2]), quod se uno contentus [3]) taciturnus et paucorum verborum est [4]), quod acerbus est etiam in iis, quae rite facit [5]), quod extrema parte vitae homines contemnit [6]).

Mores autem Tiberii ab aequalibus parum intellecti sunt, alius aliud crimen ei imputavit, patientia doloris secundum existimationem vulgi ostendebat Tiberium morte Germanici et Drusi delectari; quae egregie faciebat, in deterius trahebantur et judicium de eo ferebant suorum tantum commodorum, non rei publicae ratione habita. Maxime Tiberio nocuit, quod non esset homo comis et affabilis et quod non tantum ejus vitia sed etiam virtutes efficerent, ut omnibus invisus esset.

Nobiles enim Tiberium ferre non poterant. Jam eum despexerunt, quod fortuna is sibi praepositus esset, qui origine par vel inferior esset neque sanguinis vinculis cum divo Julio nec cum divo Augusto conjunctus esset; sed odio implacabili eum oderant, quod eorum vitia in provinciis grassari non pateretur, improbaverunt, quod se neglectis amicos inter homines novos eligeret et in primis Sejanum socium laboris sibi assumeret. Praeterea iis invisus erat, quod aulicum splendorem parvi faceret. Haec etiam est causa, cur

---

[1]) passim apud Tacitum, praecipue Ann. I 11.

[2]) Plin. Nat. Hist. XIX 22 (38).

[3]) Suet. Tib. 18.

[4]) Suet. Tib. 68. Tac. Ann. IV 34.

[5]) Tac. Ann. IV 7.

[6]) Tac. Ann. VI 44.

populus Tiberium non amaverit; princeps liberalis, qui panem et circenses dabat, qui, ut Augustus, animos hominum comitate sibi conciliabat, qui Romam aedificiis ornabat, qui gloriam militarem populi Romani augebat, ei gratus erat et acceptus. Plebs infima maxime delectabatur principe, qui ludos magnificos edebat. Haec causa erat, cur Caligula populi gratia floreret, ut Flavius Josephus diserte testatur [1]) et cur plebs grata memoria Neronem prosequeretur. Tiberii aetate pauci ludi edebantur [2]), quae gravissima causa extitit, cur Tiberius plebi displiceret. Etiam reliqua omnia, quibus princeps populo gratus esse potest, negligebat ac neque comitate neque ea, quae populo placebant, faciendo vulgi studia tenebat.

Accedebat, quod permulti in civitate nobiles Juliorum fautores Claudiis adversabantur. Illa factio gratia populi floruit, quum haec in odio esset. Germanicum, cui erat mira comitas et diversa a Tiberii sermone et vultu arrogantibus et obscuris [3]), qui clementia et temperantia praestabat [4]), maxime amabant, unde factum est, ut studia vulgi etiam in Agrippinam et liberos inclinarent et Tiberius in dies magis invisus fieret.

Habuit hoc Tiberius, ut quum aliorum maledicta aequo animo ferret tum ipse saepe illa ederet, praesertim principatus initio, quum in civitate libera linguam mentemque liberas esse debere contenderet [5]), postremo vero, quia homines contem-

---

1) Flav. Jos. Ant. Jud. XIX, 1, 16.

2) Tac. Ann. I 54, IV 62, Suet. Tib. 34, 47, Sen. de prov. IV 4.

3) Tac. Ann. I 33.

4) » » II 73.

5) Suet. Tib. 28.

nebat et suam infamiam neglexit [1]), quo factum est, ut multa falso ei objecta, postea in historiam insererentur.

Quum Tiberius omnibus invisus esset, multi rumores odiosi exorti sunt, de quibus necesse est hic paucis agere. Tres potissimum causae erant, quibus facile Romae rumores orerentur et per urbem dispergerentur: ratio difficilis sciendi quae agerentur, modus vivendi et natura Romanorum. Jam de singulis videamus.

Romanis acta diurna quidem praesto erant ad cognoscendum, quae agerentur sed ea non multo plura continebant quam nostra aetate Diurna publica et tantum ea, quae Caesar publicari vellet; reliqua igitur fando iis audienda erant et sermonibus accipienda. Deinde vero modus vivendi Romae aptissimus erat ad rumores fingendos et dispergendos. Tam multi sunt homines, qui nihil habent, quod agant ex genere illorum, quos Phaedrus, lepidus poeta, ardeliones appellat, praeterea fere omnes, quia sub coelo meridiano vitam agunt, multum in publico versantur et semper occasionem habent res gestas inter se agitandi. Accedit, quod Romani proni erant ad maledicta et ad mendacia fingenda, quo factum est, ut odiosi rumores in primis cupide arriperentur. Dabo aliquot testimonia, ex veteribus scriptoribus collecta, qui de illis rumoribus queruntur.

Jam Plautus de hominibus agit,

„Qui omnia se simulant scire neque quicquam sciunt.
Quod quisque in animo habet aut habiturust, sciunt.
Sciunt, quid in aurem rex reginae dixerit.
Sciunt, quod Juno fabulatast cum Jove.

---

[1]) Tac. Ann. VI 44.

Quae neque fuerunt neque sunt, tamen illi sciunt" [1]). Etiam Cicero dicit: „At fuit fama. Quotus quisque illam effugere potest in tam maledica civitate" [2])? Tacitus appellat Romam civitatem omnium gnaram et nihil reticentem [3]), sermonum avidam [4]), cuncta interpretantem [5]). Martialis lepido epigrammate quendam Philomusum deridet, qui omnia scit et plurima fingit, quae quasi vera refert [6]); Juvenalis denique de quadam femina agit, quae novit, quae toto in orbe fiant et quosdam rumores excipit, quosdam facit [7]).

Quamquam jam vita quotidiana nos docet, quo modo praecipue rumores oriantur, tamen dabo aliquot exempla ex historia petita. Primum igitur multi rumores veritatis fundamento quodam nituntur. Caligula, ut exprimat, quantopere consules contemnat, exclamat: „Vel equus meus consul fieri posset". Rumor incedit Caligulam re vera in animum induxisse, ut equum consulem crearet [8]). Quia Claudius saepe aliud agebat, lepide homines dicebant: „Si Messalina Silio nuberet, Claudius nil sentiret". Ridiculus rumor de nuptiis Messalinae et Silii nascitur [9]). Caracallae satellites erant, quibus nomen dedit leonum, postea reperitur eum leonem in convivium adhibuisse,

---

1) Plaut. Trin. 205—9.
2) Cic. pro Cael. 16. 38.
3) Tac. Ann. XI 27.
4) » » XIII 6.
5) Tac. Hist. II 16.
6) Mart. Ep. IX 35.
7) Juv. Sat. VI 402—409.
8) Suet. Cal. 55.
9) Tac. Ann. XII 26.

cui etiam publice oscula dederit et semper leones circum se habuisse. [1])

Rumores etiam oriuntur saepenumero ex iis, quae homines cogitationibus suis fingunt. Hirtius et Pansa eodem tempore occiderunt, quod Augusto non ingratum accidit. „Ergo", ita aiunt, „Augustus auctor eorum mortis est" [2]). Tiberius imperium adeptus est mortibus Marcelli et C. et L. Caesarum: ergo mater ejus illos interfecit. [3]) Semper clarorum hominum mors causa est rumorum veneficii, Drusus Tiberii frater ab Augusto interfectus esse dicitur [4]); Liviam Augustum occidisse a nonnullis traditur [5]); Tiberius putatur mortis Germanici auctor fuisse [6]) et Drusi [7]) et legimus liberos Agrippae, una Vipsania excepta, ferro aut veneno aut fame exstinctos creditos esse. [8]) Sed quid multis verbis utor in re non obscura, quum Tacitus ipse fateatur „atrociore semper fama erga dominantium exitus [9])"?

Ut illuc unde digressus sim, redeam, postquam Augustus Tiberium sibi moribus tam dissimilem successorem instituit, quum Germanicus ei similior esset, erant, quibus persuasum esset eum id ideo fecisse, ut maiore gloria ipse frueretur [10]). Antonia non adest funeri Germanici, qua in re sine dubio a

[1]) Dio. LXXVIII 7. Haec exempla primus attulit Vir Cl. Naber in disputatione supra laudata et »Grondslagen voor de kritiek van Dio Cassius." 1867.

[2]) Suet. Aug. 11.

[3]) Dio LVI 33, Tac. Ann. II 41. Tac. Ann. I. 3, IV 71. Dio LVI 11.

[4]) Suet. Claud. 1.

[5]) Tac. Ann. I 5, Dio LVI 30.

[6]) » » II passim.

[7]) » » IV 10, 11.

[8]) » » III 19.

[9]) » » IV 11.

[10]) » » I 10, Suet. Tib. 21, Cal. 4.

Tiberio cohibita esse creditur [1]). Tiberius Capreas secessit: foedissimis libidinibus eum indulgere putant [2]) Quid multa? Si quis in legendis veteribus scriptoribus hoc agit, ubique documenta inveniet.

Saepe rumores evulgaverunt res, quae non factae sunt sed tantummodo ex cuiusdam ingenio petitae. Quia Tiberius minime comis erat, credunt eum fratrem prodidisse [3]), filium interfecisse [4]) et matri invisum fuisse [5]). Ubi Tacitus narravit libertum a Domitiano ad Agricolam missum codicillos, quibus ei Syria daretur, tulisse cum praecepto ut, si in Britannia foret, traderentur, addit: „sive verum istud sive ex ingenio principis fictum ac compositum est" [6]). De Claudio et Nerone Dio dicit: „Sed nescio, utrum hoc re vera factum sit an ex moribus eorum fictum." [7])

E rerum eventu quoque rumores oriuntur. Tiberius contra Agrippinam et liberos saevit, unde rumor exortus est Germanicum ejus consilio interfectum esse, ut Suetonius his verbis ostendit: „Quam suspicionem confirmavit ipse postea, conjuge etiam ac liberis Germanici crudelem in modum afflictis." [8]) Germanicus triumphum agit, de quo Tacitus scribit: „suberat occulta formido, quia breves et infausti populi Romani amores." [9]) Qui

[1]) Tac. Ann. III 3.
[2]) Suet. Tib. 43.
[3]) Suet. Tib. 50.
[4]) Tac. Ann. IV 10, 11.
[5]) Suet. Tib. 50, 51, 59.
[6]) Tac. Agr. 50.
[7]) Dio LXI 11 Cf. etiam LXI 8, LXII 24.
[8]) Suet. Tib. 52.
[9]) Tac. Ann. II 41.

rumor natus est post Germanici mortem. Si legimus Neronem Germanici filium notis in eum Sejani odiis ob periculum gratiorem populo fuisse [1], probe tenendum est hoc odium postea demum patefactum esse; est igitur rumor e rerum eventu ortus.

Tacitus alicubi dicit falsa tempore ac spatio vanescere [2], quod etsi interdum fit, tamen saepius non verum est. Contra habent hoc rumores, ut crescant eundo nivium molis instar, quae a montibus devolvens semper augescit et tandem magna vi valles obruit. Tacitus, ubi de morte Drusi Tiberii filii agit, non negat extitisse rumorem, Tiberium ejus mortis auctorem fuisse; quem quum ipse aspernetur et respuat [3], Orosius eundem pro vero dat [4]. Tacitus quendam sermonem fuisse dicit, Agricolam a Domitiano veneno interceptum esse [5]) Dio idem sine ulla dubitatione narrat [6].

Si cogitamus obtrectationem et livorem, ut Tacitus dicit [7], pronis auribus accipi et famam ne omnium praeclarissimo quidem principi M. Antonino Philosopho pepercisse [8], non est quod miremur famam in Tiberium, principem minime amabilem et longe remotum a gratia populi captanda, magna vi saevisse.

---

1) Tac. Ann. IV 15.
2) Tac. Ann. II 82.
3) Tac. Ann. IV 10—11.
4) Oros. VII 4. Hist. Misc. VII 23.
5) Tac. Agr. 43.
6) Dio LXVI 20.
7) Tac. Hist. I.
8) Cf. Jul. Capit. Vit. M. Ant. 15.

Videamus praeterea, quo modo historia scribi soleret. Principe vivo historia scribitur cum studio gratiam eius ineundi, falsa est vel ob metum vel ob adulationem. Si quis nostris temporibus in re publica, ubi libertas scribendi floret, de principe aliquid scripto mandat, laudat ejus bene facta et complura silentio praetermittit, si jam non studet veritatem detorquere. Quanto magis hoc necesse erat fieri Romae aetate imperatoria, quum Caesar suo nutu omnia regeret. Testimonia non desunt. Tacitus nos docet historiam omnium Caesarum ab aequalibus cum studio scriptam esse [1]), quod a Suetonio [2]) et Flavio Josepho [3]) confirmari videmus. Ex Tiberii aetate Vellejus nobis exemplum est, qui ipse declarat: „semper magnae fortunae est comes adulatio." Post mortem Caesaris recentibus odiis historia ejus scribitur [4]) quia novus princeps plerumque laetabatur, si decessor ejus atris coloribus depingebatur [5]) Si legimus in Panegyrico Plinii: „hoc primum erga optimum imperatorem piorum civium officium est, insequi dissimiles [6])," intelligimus, qualis hac de re opinio fuerit. Tiberii quoque vita recentibus odiis scripta est, quod magna acerbitate factum esse admodum veri simile est, quum Tacitus dicat, neminem tam infensum scriptorem extitisse, ut

---

[1]) Tac. Ann. I 1, de primis principibus.

Tac. Hist. I 1, II 101, de Galba, Othone, Vitellio et Flaviis.

[2]) Suet. Cal. 8, Vit. 1.

[3]) Flav. Jos. Ant. Jud. XX 8, 3, de vita Neronis.

[4]) Tac. Ann. I 1, Hist. I 1, II 101.

[5]) Ael. Lampr. Vit. Ant. Heliog. cap. 30: »ii, qui in gratiam Alexandri Heliogabalum deformare voluerunt."

[6]) Plin. Paneg. 53.

mortem Drusi ei objectaret [1]) et quum Caligulae filio Germanici et Agrippinae gratum deberet esse, si historia ejus, qui matrem et fratres necasset, cum odio scriberetur. Quum igitur praeceptum Luciani: „non scribendum est cum studio neque cum ira" [2]) negligatur, nobis confugiendum est ad aetatem, quae neque beneficio neque injuria principes cognitos habet. Sed ne apud hos scriptores quidem veritas ubique expressa est, cujus nulla est gravior causa quam natura fontium, ex quibus sua hauriebant et in quibus adhibendis sedulo quaerere, quid verum esset necne, negligebant. Praeter historiarum libros aut cum studio aut cum ira scriptos illis praesto erant monumenta publica, acta senatus et acta diurna, fasti, epistolae et orationes principum, nonnumquam etiam commentarii ab iisdem confecti, praeterea libelli famosi et ea, quae ipsi fando audiverant. Ex his fontibus ea, quae Tacitus, Suetonius et Dio Cassius memoriae produnt, profluxerunt, de quorum singulorum fontium fide jam paucis videamus.

Acta senatus etsi post Augustum publicari desierunt et plurima, quae continuerunt, in acta diurna referebantur, tamen veri simile est Tacito et Suetonio copiam eorum inspiciendorum factam esse. Acta diurna vero et Tacitum [3]) et Suetonium [4]) inspexisse constat. Ex nonnullis locis conjectura assequi possumus, quae in actis ponerentur, sed de fide actorum nihil constat, quam tamen non ita magnam fuisse persua-

[1]) Tac. Ann. IV 11.

[2]) Luc. Quo modo historia scribenda sit. 38, 41, 59.

[3]) Tac. Ann. III 3, XII 24.

[4]) Suet. Tib. 5.

sum habeo, quia a principis ministro scribebantur, quem in iis tantum ea scripsisse veri simile est, quae principi placerent [1]). Si Dioni credimus, Tiberius, ut erat contemptor suae infamiae, in actis ipse publicavit, quae sibi objicerentur [2]).

Fasti etiam nonnumqnam dubiae fidei fuerunt [3]), praeterea pauca in his reperiebantur, quae non aliunde constarent.

Sequuntur epistolae et orationes, quas si legimus non possumus non Tiberium admirari. Tiberii orationes tam praeclarae erant, ut sub Claudio in senatu recitarentur.[4]) Has Tacitus et Suetonius inspexerunt [5]), qui etiam Tiberii epistolas adhibuerunt [6]). Sed per se intelligitur eas nihil continuisse nisi ea, quae princeps vulgari voluit et si, Tacitum auctorem secuti, Tiberium simulationis accusamus, fere nihil auctoritatis habuisse.

Idem valet de commentariis, a Tiberio scriptis, quos Domitianus semper lectitabat [7]). Agrippina mater Neronis quoque commentarios composuit, quibus historiam Tiberii maxime corruptam esse multis et in primis A. Stahrio persuasum est, quod Agrippina de rebus aulicis egerit, quas difficile erat aliunde scire. Quae tamen opinio ex meris conjecturis

---

[1]) Optime de hac quaestione disputavit A. Hübner. Jahrbücher für klassische Philologie 1857—60, p. 557.

[2]) Dio LVII 23.

[3]) Tac. Hist. IV 10.

[4]) Dio LX 10.

[5]) Tac. Ann. I 81, II 63, Suet. Tib. 28, 67, orationes.

[6]) » » I 73, VI 8, VI 12, Suet. Tib. 67, epistolae.

[7]) Suet. Tib. 61, Dom. 20.

pendet. Hoc vero constat Suetonium Tiberii commentariis [1]), Tacitum Agrippinae [2]) usum esse.

Praeterea illis suppetebant libelli famosi, quibus nihil perniciosius erat ad veritatem corrumpendam. Continebant sine dubio jocos acerbos, odiosos rumores et mendacia ficta ab iis, qui injuriam accepisse sibi videbantur. Si exemplo ex nostro saeculo petito inspicimus libellos famosos, qui hodie evulgantur, jure colligere possumus veritatem in iis non inveniri, quum praesertim populus Romanus semper magnopere his rebus indulgeret et cupide omnes occasiones jocandi vel alium dicteriis perstringendi arriperet.

Etiam nonnulla, quae fando audiverant, Tacitus et Suetonius in opera sua inserere potuerunt. Ita ubi mortem Drusi commemorat, Tacitus dicit rumorem quendam etiam tum viguisse [3]) et in causae Pisonis descriptione narrat quiddam, quod se a senioribus audire meminit[4]). Harum auctoritatum levitatem non opus est me demonstrare.

Quamquam, quum tales fontes his scriptoribus suppeterent, non facile erat omnia ex vero scribere, tamen etiam aliae causae extiterunt, quibus historiae corrumperetur quaeque non minus voluisse videntur ad Tiberii imaginem deformandam. Verum jam ipsos scriptores percurrere in animo est, ubi facultas dabitur vitia enumerandi, quibus singuli laborant.

---

[1]) Dio LX 10.
[2]) Tac. Ann. IV 53.
[3]) » » IV 10.
[4]) » » III 16.

CAPUT SECUNDUM.

In vita Velleji, quae ex ejus opere cognoscitur, haec in primis observanda sunt, quod sub Tiberio stipendia fecit [1]), quod legatus ab eo creatus est [2]), quod triumpho ejus aderat [3]), quod denique ejus beneficio praetor factus est [4]). Quae res admodum cautos nos facere debet in Velleji fide historica dijudicanda. Edidit libellum suum anno 30 p. Chr.; dedicatum enim est M. Vinicio, qui anno 32 consul erat [5]). Scripsit igitur florente Sejano, qui anno 31 interemptus est. Hac quoque re eius auctoritas minuitur et extenuatur, quum eo tempore scripserit, quo Tiberius nondum tam malis rumoribus diffamatus erat quam post mortem Sejani [6]). Est una res tantum, quae auctoritatem ejus auget: Tiberio adulatio odio erat [7]), neque dubito, quin aegre laturus fuisset, si Vellejum

---

1) Vell. II 104, 3, III 3.
2) Vell. II 113, 3.
3) Vell. II 121, 3.
4) Vell. II 124, 4.
5) Vell. II 130.
6) Tac. Ann. VI 57.
7) Tac. Ann. I 70, II 87, III 47, IV 6, 37, 38, 70, 74, VI 52. Suet. Tib. 72.

falsa referre vidisset. Praeterea Vellejus nullius adulationis sibi conscius erat, alioqui non scripsisset: „semper magnae fortunae comes est adulatio"[1]). Sed est aliquid inter veritatem et adulationem, possumus enim omnia ex vero dicere sed plura reticere et si a vero non deflectimus, magni interest, qua ratione et quibus verbis vera narrentur.

Ad indolem Velleji pergam. Licet bonus miles fuerit et probus homo, in historia scribenda eum admirari non possum. Stilus ejus, calamistris ornatus et saepe cothurnis incedens, nonnumquam nauseam et taedium movet. Habet hoc Vellejus, ut amet tamquam officiosa quadam blanditia verbis exquisitissimis laudem tribuere. Si quem nominat, occasionem eum extollendi nullam praetermittit. Ut taceam de hominibus notis, eximias laudes tribuit Censorino [2]), Sentio Saturnino [3]), Lepido [4]), Cosso et compluribus aliis [5]), Pomponio [6]) et quod mirum est, vel hosti Maroboduo [7]). Homo militaris historiam scribere exorsus est, sed huic rei impar fuit, ut non solum stilus turgidus ostendit, sed etiam complures errores, quos commisit in iis describendis, quae ante ejus aetatem gesta sunt. Id unum admonendum esse censeo, quod gravissimum est, accusationem adulationis magis tribuendam esse stilo tumido et inflato,

---

[1]) Vell. II 102.
[2]) Vell. II 102.
[3]) Vell. II 105.
[4]) Vell. II 104.
[5]) Vell. II 116.
[6]) Vell. II 129.
[7]) Vell. II 109.

quo longe eum aequalis Valerius Maximus superat, quam mendaciis in rebus enarrandis.

Proposuit sibi strictim et obiter historiam Romanam scribere, plura et graviora scripturus in illo opere justo, quod saepe pollicetur [1]).

In vita Tiberii enarranda quum scripserit ea, quae ipse vidit et quibus ipse interfuit, in fontes ejus hoc loco non opus est inquirere. Jam agam de illis locis, qui me in Vellejo offendunt.

II. 94 Ubi heros eius in scenam prodit, ampullae non parcit sed benignissime eam effundit. Hoc condonandum est Vellejo, qui eodem capite ostendit, quam difficile sibi hoc exornatum genus scribendi sit, quum tantummodo paucis verbis interjectis dicat: „quantus est, sperari potuerat" et „quantus evasurus esset, eluceret." Dicit Tiberium innutritum esse coelestium praeceptorum disciplinis et juvenem esse genere, forma, celsitudine corporis, optimis studiis maximoque ingenio instructissimum. Sunt verba rhetorica, paene poetica; sed res ipsae a Suetonio confirmantur. [2])

Laudat Vellejus res in Oriente gestas, quum Dio affirmet Tiberium nihil dignum tanto apparatu fecisse. [3])

Fallitur Vellejus, ubi regem Armeniae Artavasden appellat, quum constet eum fuisse Tigranem. [4])

II 95. Pauca dicenda de vitio, quo Vellejus maxime

---

1) Vell. II 48, 96, 99, 102, 114, 119.

2) Suet. Tib. 70 et 68.

3) Dio LIV 9.

4) Dio LIV 9.

laborat. Omnia enim ad Tiberium refert, quasi historia Tiberii esset historia rei publicae. Quum Tiberius adjutor datus sit Druso [1]), Vellejus contrarium dicit, qui operam dat, ut Tiberius semper et ubique emineat.

II 96. Quae modo scripsi, etiam hoc capite confirmantur. Vellejus nominat Agrippam non Augusti generum, sed Tiberii socerum.

II 97. M. Lollius, qui inimicus Tiberio [2]) est, his verbis vituperatur: „homo in omnia pecuniae quam recte faciendi cupidior et inter summam vitiorum dissimilationem vitiosissimus." Quae in Tiberii gratiam scripta esse videntur, si judicium, quod alii tulerunt, comparamus et in primis laudum, quas Horatius tam benigne ei tribuit [3]), rationem habemus. Haec verba etiam aliud quid continent, quod magni momenti esse videtur in cognoscendis Tiberii moribus. Si inter homines suae aetatis constitisset Tiberium simulatorem fuisse, quo crimine Tacitus eum urguet, Vellejus hoc non dixisset; quod certe parvum argumentum affert, ad probandum Tiberium hoc vitio non laborare. Omnino hoc de Vellejo animadvertendum est, si jam constaret ei fidem abrogandam esse, eum tamen utilem esse ad cognoscendum, quo modo princeps historiam scribi voluerit, quod exemplo ex hoc capite sumpto illustrabo. Inde quod laudat fratrem Tiberii, apparet hoc ipsum Tiberio gratum fuisse, eumque fratrem grata memoria prosecutum esse.

De Druso legimus: „adulescens tot tantarumque virtutum,

---

1) Dio LIV 22.

2) Suet. Tib. 2.

3) Hor. Carm. IV Tac. Ann. III. 48.

quot et quantas natura mortalis recipit vel industria percipit, morum dulcedo inimitabilis fuisse dicitur." Vellejus manifesto exaggerat, sed tamen Tacitus quoque et Suetonius eum laudant [1]) et gratiae, qua florebat, nullum est certius indicium, quam quod consilium ei attributum est formam veteris rei publicae restituendi.

Vellejum non vera loqui, si Drusum domitorem Germaniae appellat, bella, quae secuta sunt, ostendunt.

II 99. Hoc capite offendimur oratoriis calamistris et quibusdam, quae non vera sunt. Valde ridicula sunt verba, quae initio de Tiberio legimus: „civium post unum et hoc, *quia volebat,* eminentissimus." Tum Vellejus de secessu in Rhodo agit, de cujus causa inter auctores non constat. Vellejus dicit eum secessisse propter nepotes Augusti, Tacitus propter Juliam [2]). Suetonius plures causas affert, vel uxoris taedium vel ut auctoritatem absentia tueretur vel denique ne nepotibus Augusti obstaret [3]). Dio dicit: „verissima causa est quod nepotibus obstabat; traditur quoque Tiberium ob uxorem abiisse". In his animadvertendum est Suetonium dicere Tiberium ipsum postea dixisse se id propter nepotes fecisse et cum Tiberio Vellejum conspirare, dicentem eum mira quadam et incredibili atque inenarrabili pietate abscessisse, ne fulgor suus orientium juvenum obstaret initiis. Ridiculum, est quod Vellejus dicit Tiberium nepotum gratia id fecisse quodque occasionem captat Tiberium laudandi. Vera

1) Tac. Ann. I 33. Suet. Claud. 1.

2) Tac. Ann. I 53.

3) Suet. Tib. 10.

4) Dio LV 59.

causa mihi fuisse videtur miserrima condicio vitae Tiberii, quod suspectus erat Augusto, quod uxor ei invisa erat et quod in omnibus rebus nepotibus Augusti postponebatur. Tiberius requiem et solitudinem semper amabat, quod postea, quum Capreas secederet, ostendit. Hae causae et cum natura et cum iis, quae tradita sunt, congruunt.

Descriptio luctus civitatis, quum Tiberius discederet, tantummodo ex rhetoris ampulla, non ex veritate profecta est; Tiberius enim numquam populo gratus erat.

Honorem Tiberio Rhodi habitum esse eo non credo, quod Suetonius, qui adulatione liber est, dicit eum in dies invisiorem et contemptiorem factum esse [1]).

Verba: „si illa majestas umquam privata fuit", adulatoria quoque sunt.

II 100. Illud: „sensit terrarum orbis digressum a custodia Neronem urbis" rhetori magis idoneum quam historico.

II 101. C. Caesar Tiberio ut superiori honorem habuisse narratur, postquam cum eo convenerit. Omnia haec falsa sunt. Tiberius non erat superior, Cajus non venit ad Tiberium sed Tiberius ad Cajum, Cajus non ei honorem habuit sed Tiberius eum offensiorem invenit, ut Suetonius memoriae prodidit [2]).

II 102. Etiam hic M. Lollius vituperatur. Vide, quae annotavi ad II 97.

II 103. Complura falsa hoc capite reperiuntur. Vellejus dicit Tiberium Rhodo reversum incredibili laetitia patriam replevisse. Numquam Tiberius popularis fuit [3]) et quid tandem

---

1) Suet. Tib. 13. Cf. etiam Tac. Ann. II 42. Dio LVII 17.

2) Suet. Tib. 12.

3) Tac. Ann. IV 7. Dio LVII 3. Plin. Nat. Hist. XXXV 4 (10).

causae erat, cur populus gauderet Tiberii reditu. Tum vero unicuique, qui amorem Augusti erga nepotem novit, ridiculum videtur Augustum in animum induxisse Gaio vivo Tiberium adoptare, at prohibitum esse Tiberio ipso repugnante. Scribit hoc Vellejus, ne Tiberius casu quodam, quod re vera factum est, principatum adeptus esse videatur utque eundem obtenturus credatur fuisse Gaio vivo.

Ampulla plane effunditur in describendo gaudio de adoptatione Tiberii, ita ut inter legendum vix risum teneas.

De adoptatione haec scribit: „Augustus non est diu cunctatus; neque enim quaerendus erat, quem legeret, sed legendus, qui eminebat." Videamus, quae ceteri scriptores tradant. Tacitus non sibi constat, primo loco [1]) dicit Tiberium Liviae dolo ab Augusto adoptatum esse; secundo [2]) eum per uxorium ambitum principatum adeptum esse; tertio [3]) invenimus Augustum Agrippa defuncto Tiberium delegisse, ne successor in incerto foret et ut pravae aliorum spes prohiberentur, quarto denique [4]) Augustum dubitavisse Germanicum rei publicae imponere sed precibus uxoris evictum Tiberium adoptasse. Suetonius affirmat Gaio et Lucio defunctis certum fuisse, Tiberio uni spem successionis incumbere [5]); alio loco dicit Augustum dubitasse, utrum Tiberium an Germanicum destinaret [6])

---

1) Tac. Ann. I 3.
2) Tac. Ann. I 7.
3) Tac. Ann. III 56.
4) Tac. Ann. IV 57.
5) Suet. Tib. 15.
6) Suet. Cal. 4.

neque ignorat rumorem fuisse [1]) Augustum precibus uxoris adoptionem non abnuisse, vel ambitione tractum, ut tali successore desiderabilior fieret [2]); ipse vero ei rei fidem de negat. Dio refert Liviam gloriari, quod Tiberium principem fecisset. [3]) Verum est, quod Vellejus hoc loco, Tacitus tertio loco (III 56), et Suetonius (in vita Tiberii cap. 21) narrant. Augusti erga Tiberium animum ex Suetonio cognoscimus [4]), admiratur eum tamquam vindicem imperii et magnopere ei confidit. Praeterea non veri simile est Augustum Germanicum, praeclara quidem indole praeditum, sed admodum juvenem, adoptare voluisse, quum Germanicus nihil adhuc egisset et Tiberius magnam jam gloriam adeptus esset. Rumor facile oriri potuit ex moribus diversis Augusti et Tiberii et ex potentia Liviae.

II 104. Loquitur de *coelestissimis* Tiberii operibus. De Augusto satis habuit positivo uti [5]).

Gaudium militum, flosculis oratoriis descriptum, suspectum est. Seditio, postquam Tiberius principatum adeptus est, exorta ostendit Tiberium non apud milites gratia valuisse. Arte studia hominum sibi conciliandi, qua vel Caligula et Nero praediti erant, Tiberius carebat et ut milites eum admirarentur, profecto eum non amabant.

II 105. Pietas sua Caesarem in urbem traxit. Ridicula est causa. Magis Dioni fidem habeo dicenti eum Romam se contulisse ad

---

[1]) Suet. Tib. 21.

[2]) Eandem ineptam suspicionem Tacitus commemorat Ann. I 10, quod Dio etiam de Tiberio prodidit, quum Caligulam eligeret. LVII 21.

[3]) Dio LVII 12.

[4]) Suet. Tib. 21.

[5]) Vell. II 60.

privata negotia conficienda et ne alius sibi absenti praeferretur [1]).

II 106. Magnis verbis utitur in describendo bello Germanico; Dio affirmat eum nihil memoria dignum egisse [2]).

De incognito ante mari Vellejus loquitur, ad quod tamen jam ante Tiberium Domitius [3]) et Drusus [4]) penetraverant.

II 108. Nihil erat in Germania, quod vinci poterat. Ridicula exaggeratio.

II 112. Agrippa Postumus, mira pravitate animi atque ingenii in praecipitia conversus, patris animum alienavit et mox dignum furore suo habuit exitum. Est res dubia: Vellejus nihil pro certo statuit; si quid ex ejus verbis colligere velimus, his potius culpa in Tiberium quam in Augustum confertur. Tacitus narrat Tiberium ejus caedis auctorem fuisse et jussa Augusti simulasse [5]). Suetonius dicit dubium esse, Augustusne moriens codicillos, quibus tribunus, ut id faceret, juberetur, reliquisset, an nomine Augusti Livia et ea conscio Tiberio an ignaro dictasset [6]). Dio tradit Tiberium eum interfecisse et passum esse alium auctorem Augustum nominare, alium Liviam, alium tribunum suopte consilio agentem [7]). Ex his apparet caedem Agrippae in numerum illarum rerum referendam esse, in quibus certam veritatem reperire non possumus. Hoc tantum constat caedem Agrippae

---

1) Dio LV 57.
2) Dio LV 28.
3) Tac. Ann. IV 44.
4) Dio LV 1.
5) Tac. Ann. I 6.
6) Suet. Tib. 22.
7) Dio LVII 3.

quodammodo excusandam fuisse, quum Augustus eum „nihilo tractabiliorem, immo in dies amentiorem" in insulam transportaverit [1]) et Tacitus eum esse rudem bonarum artium dicat neque auctorem eius mortis magnopere vituperandum esse, si juvenem ferocem et rudem, qui multa pericula afferre posset, e medio sustulerit. Si conjecturam facere mihi licet, veri simile mihi videtur Agrippam interfectum esse ab aulicorum quodam, qui quum intelligeret hoc Tiberio jucundum fore, ejus gratiam sibi conciliare voluit.

II. 113, 114. Vellejus nimius est in laudibus Tiberii. Quod quivis dux in tali re facere solet, amplissimis verbis extollitur.

II 122. Tiberius laudatur, quod tribus triumphis contentus fuerit, quum septem meruerit. In his verbis adulator conspicitur; Tiberius enim agit eos triumphos, qui ei decernuntur. Annotandum est Tiberium ipsum locutum esse de spretis triumphis [2]).

II 123. In iis, quae de morte Augusto narrantur, auctores non inter se consentiunt. Vellejus dicit Augustum mortuum esse circumfusum amplexibus Tiberi sui et flosculis rhetoricis amicitiam Augusti et Tiberii extollit. Tacitus scribit „non satis compertum est, spirantem adhuc Augustum apud urbem Nolam an exanimen reppererit [3])." Suetonius uno loco tradit Augustum diu secreto sermone Tiberium detinuisse [4]), altero Tiberium spirantem adhuc Augustum repperisse et una fuisse

---

1) Suet. Aug. 65, Cf. Dio LV 32.

2) Tac. Ann. III 47.

3) Tac. Ann. I 5.

4) Suet. Aug. 98.

per totum diem [1]. Dio affirmat plures et graviores auctores secutus, Liviam mortem occultasse neque negat alios tradere Tiberium ab eo mandata accepisse [2]. In his nihil pro certo statuere possumus.

II 124. Quid senserit Tiberius in recusando principatu, difficile dictu est. Vellejus tradit eum magis ratione quam honore victum esse, cum quidquid tuendum non suscepisset periturum videret; putat igitur eum ex animi sententia recusasse. Tacitus narrat, Tiberium se cuncta regendi onera gravari dixisse, sed in ejus oratione plus dignitatis quam fidei fuisse [3] et eum hoc fecisse, ut vocatus a senatu videretur et procerum voluntates introspiceret [4]. Praeterea dicit causam cunctandi etiam hanc fuisse, ne Germanicus habere imperium quam exspectare mallet; quod non probabile est, quia Tiberio mores Germanici non ignoti erant. Suetonius nominat recusationem illam impudentissimum mimum [5] sed addit metum fuisse causam cunctandi [6] eumque dixisse: „se lupum auribus tenere." Dio refert eum recusasse propter aetatem et (risum teneatis!) propter oculorum infirmitatem. Etiam plerique inter recentiores scriptores negant hanc recusationem veram fuisse, quibuscum ego tamen non vix consentire possum. Nonne fieri potuit ut Tiberius, qui per omnem vitam ostenderit se secundum fidem et reli-

---

[1] Suet. Tib. 20.

[2] Dio LVI 31.

[3] Tac. Ann. I 11.

[4] Tac. Ann. I 7.

[5] Suet. Tib. 24.

[6] Suet. Tib. 25.

gionem omnia exequi et omnia negotia in se suscipere velle, neque umquam officium parvi pendere, qui solitudinem et otium appetiverit et qui post vitam jam tot laboribus et molestiis exercitam providerit multas sollicitudines et aerumnas sibi impendere, munus tam difficile sit gravatus? At opinione vulgi principatus tam optandus est, ut simulationis arguant, qui eum recuset. Sed non negare ausim fieri posse, ut Tiberius id fecerit, ut a senatu vocatus videretur, sed ne tum quidem Tiberius culpandus est, quia principatus, legitimo fundamento carens, hac tantum ratione confirmari poterat.

In iis, quae Vellejus de ordinatione comitiorum tradit, legimus eam manu scriptam ab Augusto relictam esse, itaque Tiberium ex praecepto Augusti egisse, de quo Tacitus tacet, ubi de eadem re agit. [1]) Tamen hac in re fidem Vellejo non negandam esse censeo, quia saepius apud Dionem me legere memini [2]), quantas molestias ex perturbatione comitiorum Augustus ceperit, quod praesertim in re inani perversum fuit.

II 125. Seditio longe aliter hic narrata est atque a Tacito. Illud: „medio tutissimus ibis" tali in re optimum est. Maxime haec me offendunt, quod uno verbo de Germanico transigit et de Druso compluribus verbis, tum quod seditionem leviorem esse tradit, quum dicat: „brevi sopiit" et quod Tiberius verbis: „maturitas veteris imperatoris eam sopiit" honorem huius rei ferre videtur. Ex Tacito [3]) hoc saltem

---

[1]) Tac. Ann. I 25.

[2]) Dio LIV 60, LIV 10.

[3]) Tac. Ann. I. 16—52.

patet gravissimam fuisse seditionem et Germanicum in ea bene meritum esse de Tiberio, quod omissum esse apud Vellejum videmus.

II 127. Inspiciamus ea, quae Vellejus de Sejano tradit. Mihi statuendum esse primum videtur Vellejum scripsisse ante Sejani ruinam, ubi atrocissima ejus scelera patuerunt, quum ante id tempus acies omnium obstricta et obtusa esset; deinde imaginem Sejani nobis tantum ab inimicis ejus traditam esse. Videamus de iis, quae nobis cognita sunt. Aliqua bona testimonia de eo viro reperimus: primum judicium Tiberii ipsius, qui non temere cuiquam confidit et cuius amicos Tacitus quoque laudat, de quo latius agam ad Suet. Tib. 55. Tiberius eum socium laborum appellabat (Tac. Ann. IV 2.), quo verbo etiam Vellejus utitur. Saepius animadvertere possumus Vellejum res tradere iisdem verbis, quibus Tiberius ipse usus esset. Verba, quibus Vellejus (II 108.) de Maroboduo utitur, congruunt cum iis, quae Tiberius apud Tacitum (Ann. II 63.) dicit; Tiberius loquitur de spretis triumphis apud Tacitum (Ann. III 47.) eodem modo, quo Vellejus (II 122.) et quum Vellejus (II 129.) eius celeritatem in bello cum Sacroviro laudet, Tiberius quoque apud Tacitum (Ann. III 27.) hoc gloriatur.

Tum Taciti de Sejano judicium [1]) in compluribus rebus cum Vellejo conspirat. Inspiciamus singula.

Vell.: laboris capacissimus, sufficiente vigori animi compage corporis.

Tac.: corpus laborum tolerans.

Vell.: nihil sibi vindicantem.

---

[1]) Tac. Ann. IV 1.

Tac.: sui obtegens, palam compositus pudor.

Quum duo dicant idem, non esse idem haec verba ostendunt. Ejusdem mores Vellejus et Tacitus diverse interpretantur.

Vell.: animo exsomnem.

Tac.: saepius industria ac vigilantia.

Praeterea Tacitus eum initio bonis consiliis notescere voluisse dicit. Constat Sejanum eximia arte praeditum fuisse [1]) ad hominum studia sibi concilianda, quippe qui Tiberium et tot mulieres [2]) adeo devinxerit, omnia impedimenta, quae ei, novo homini, objicerentur, removerit et ad primum locum in civitate pervenerit. Erat vir fortis et strenuus praeclaro ingenio praeditus, sed perniciosae ambitionis plenus. Sejanus mihi similis videtur Macbetho illi tragico: ambo sunt homines boni, quos princeps colit et qui amplissimum locum obtinent, sed male consulta vel, ut est apud poetam, qui intimis cogitationibus formam corpoream dat, veneficae animum eorum dilacerant; nimio splendore perculsi sunt et ubi semel spem conceperunt principatus obtinendi, viam scelerum ingrediuntur nec ab ulla re abhorrent; ne si velint quidem, consistere possint, quia ex scelere nascitur scelus, propositum quod iis animo obversatur, tantum intuentes non curant, quo modo id exsequantur. Vellejus, qui florente Sejano scripsit, ejus bonas artes narrat, sed ejus ambitionem, quae negligit rationem et viam, qua potentiam acquirat, et facinora, quae commisit, reticet, quorum tamen unum, mors Drusi, postea demum patefactum est.

---

[1]) Tac. Ann. IV 7.

[2]) Dio LVIII 3.

II 126, 128, 129. Omnia, quae in hoc panegyrico inveniuntur, a Tacito, qui minime accusari potest, quod studio ductus scripserit, confirmantur. Dabo tamen nonnullos locos, ubi Vellejus a Tacito discedit. Vellejus laudat celeritatem Tiberii in causa Libonis, de qua nihil apud Tacitum invenimus [1]. Vellejus agit de honoribus Germanici, quos Tacitus magis in speciem verbis adornatos esse, quam ut penitus sentire crederetur [2] dicit, quum Tiberius sincerae caritatis fidem assecutus non esset [3]; de honore, quo Germanicum in transmarinas provincias misit, Tacitus dicit: „specie honoris". [4] Vellejus exclamat: „quanta opera exstruxit", quum Tiberium duo tantum opera effecisse satis constet [5]. Si Vellejus quaerit: „Quid Tiberius meruit, ut consilia Libonis subiret, ut Silium inimicum haberet, ut ex nuru et ex nepote indignari, erubescere coactus sit?" Tacitus rogat: „Quid Libo [6] et Silius [7] meruerunt, ut a Tiberio interficerentur, quid Agrippina et liberi meruerunt, ut Tiberius eos persequeretur?" De quibus rebus postea agam, nunc tantum adnotandum mortem Agrippinae et filiorum ante hunc librum absolutum esse [8]. Vellejus dicit neminem potentiam Liviae sensisse; majorem fidem habeo Tacito, qui dicit matris potentia Tiberium Roma extrusum esse. [9]

---

[1]) Tac. Ann. II 27. Suet. Tib. 25.

[2]) Tac. Ann. I 52.

[3]) Tac. Ann. II 42.

[4]) Tac. Ann. II 42.

[5]) Tac. Ann. VI 51. Suet. Tib. 47.

[6]) Tac. Ann. II 27, 31. Suet. Tib. 25.

[7]) Tac. Ann. IV 18.

[8]) Tac. Ann. VI 29, 30, 31. Suet. Tib. 53, 54.

[9]) Tac. Ann. IV 57.

Perveni ad finem eorum locorum enumerandorum, ubi Vellejus vituperandus est, vel ubi non cum ceteris consentit. [1]) Difficile est quidquam constituere de rebus gestis Tiberii, de quibus Vellejus agit, sed aequo animo ea, quae Vellejus narrat, nobis accipienda sunt, quia refutationem non admittunt. Suetonius more suo paucissimis verbis de illis agit, Tacitus tacet, quia historiam incipit a principatu Tiberii et Dio saepe fide non dignus est, ut postea ostendam; tamen mihi videtur Vellejo non fides neganda esse, quia testis oculatus est et haud gratum Tiberio facturus fuisset, si mendacia protulisset [2]), tum vero multum apud me valent verba Augusti, qui eum appellavit unicum P. R. praesidium, quod Vellejus etiam dicit [3]) et in eum versum Ennii adhibuit: „Unus homo nobis vigilando restituit rem [4])." Patet igitur Tiberium magnum fuisse imperatorem, qui semper prudentia excelluerit [5]) et Romam magnis periculis liberarit; et si jam Vellejus nimiis laudibus omnia extollit et rhetoricis ornamentis veritatem nonnihil conturbat, summa historiae rerum gestarum vera esse videtur. Quod ad cetera attinet, etiam hic turgidus et ornatus stilus maximum vitium Velleji est, omnia amplissimis verbis exornat, id que maximeagit, ut heroem suum lucido splendore circumfundat, aliqua reticet, sed raro

---

[1]) Suet. Tib. 9, 16, 17, 18.

[2]) Tac. Ann. III 47.

[3]) Vell. II 75: »vindex Romani imperii." et II 104: »vindex custosque imperii."

[4]) Suet. Tib. 21.

[5]) Vell. II 97. II 115. Suet. Tib. 19: »quamvis minimum fortunae casibusque permitteret."

falsa relata esse invenimus, quia fere omnia a Tiberii osoribus confirmantur. In illo panegyrico, quo librum concludit, res tantum verae narrantur. Eximias laudes invenimus: „Accessit magistratibus auctoritas, senatui majestas, judiciis gravitas, superatur aequitate gratia, ambitio virtute, honorantur recta, prava puniuntur, provinciae ab injuriis magistratuum vindicantur," quas tamen etiam Tacitus Tiberio tribuit [1]).

---

[1]) Tac. Ann. IV 6.

CAPUT TERTIUM.

Quod vulgo dicitur scripta dijudicanda esse ex tempore, quo confecta sint, quum de omnibus scriptoribus valet, tum maxime de Tacito, cuius aetatem cognoscere valde necessarium est, si de eius fide quaeritur. Itaque quam plurimam operam dedi, ut aetatem Domitiani, Nervae et Trajani penitus cognoscerem. Nemo est hac in re utilior quam Plinius Minor, aliqua dabit Juvenalis, in Tacito ipso plura invenimus, Suetonius et Dio non plane negligendi sunt.

Annum, quo Tacitus natus est, tantum conjectura assequi possumus. Quatuor loci huc pertinent. Dicit Tacitus ipse dignitatem suam a Vespasiano inchoatam esse, [1]) quam veri simile est quaesturam fuisse, cui honori aetas 25 annorum requirebatur; quum Vespasianus autem anno 69 principatum obtinuerit, Tacitus non potest post annum 54 natus esse. Praeterea anno 75 se admodum juvenem fuisse affirmat [2]) et anno 78 se uxorem duxisse, quum esset juvenis [3]). Tum Plinius, qui natus est anno 62, declarat se et Tacitum

---

[1]) Tac. Hist. I 1.

[2]) Tac. Dial. de Orat. 1.

[3]) Tac. Agr. 7.

prope aequales esse, sed ita, ut Tacitus maior natu esset; [1]) ex quo loco veri simile est Tacitum natum esse vel anno 54 vel non diu ante, quia alioqui aequales non essent.

Nobili loco Tacitus Romae [2]) natus erat, quod praeterquam ex loco quodam Plinii Majoris[3]), ubi de equite quodam Tacito mentio facta est, maxime apparet ex cursu honorum et ex nuptiis cum filia Agricolae. Tamen non erat familia vetere et illustri, quae res, ut plerumque fit, effecit, ut nobiles tantopere admiraretur et ignobiles sperneret.

Sub Tito quodam munere functus est [4]), sub Domitiano praetor fuit [5]), in quo munere probabile est eum ea moderatione usum esse, quam ipse laudat [6]); sub Nerva consul fuit. [7]) Quo anno mortuus sit, nescimus, quod tamen non magnopere ad hanc quaestionem refert. Juvenis oratores audiebat [8]) et saepe causas agebat. [9]) Magna aestimatione fructus est et adeo gloria floruit, ut nomen ejus in omnium ore versaretur. [10])

---

[1]) Plin. Ep. VII 20 4.

[2]) Quia princeps Tacitus Interamnae natus est, haec urbs sibi vindicavit honorem, etiam principem historicorum procreasse, quod loco (Ann. IV 3), ubi Sejanus municipalis adulter appellatur, satis refutatur et loco, quo cum contemptu de municipio loquitur (Ann. III 48).

[3]) Plin. Hist. Nat. VII 16.

[4]) Tac. Hist. I 2.

[5]) Tac. Ann. XI 11.

[6]) Tac. Ann. IV 20. VI 16. Agr. 8, 42.

[7]) Plin. Ep. II 1 6.

[8]) Tac. Dial. 2.

[9]) Plin. Ep. II 11 17.

[10]) Plin. Ep. II 11 17. IV 13. IV 15. 1. IX 23.

Quo anno Annales ediderit ex loco hujus libri patet. In descriptione enim imperii [1]) reperiuntur ea, quae Trajanus anno 115 imperio addidit et quae Hadrianus anno 117 neglexit, unde efficitur anno 115 vel 116 Annales editos esse.

Jam de Taciti aetate videamus. Quia aequalis Domitiani fuit, multa vitia, quae huic objiciebantur, transtulisse videtur in Tiberium. In vita Agricolae saltem compluribus locis ea de Domitiano leguntur, quae de Tiberio quoque tradita sunt. Enumerabo eos locos, qui ad hanc disputationem pertinent.

Cap. 39. Domitianus nuntium accipit fronte laetus, pectore anxius praeterea saepius odium reposuisse dicitur; quae his ipsis verbis de Tiberio reperiuntur [2]).

Cap. 40. sive verum istud, sive ex ingenio principis fictum ac compositum est. Obiter observo nos auctorem Annalium hic jam perspicere.

Cap. 42. de simulatione Domitiani agit, addens: „quo obscurior, eo inexorabilior." (ex Em. Viri Cl. Cornelissen pro: inrevocabilior).

Cap. 43. Quum Agricola morbo affectus esset, Domitianus nuntios misit, de qua re Tacitus dicit: „sive cura illud sive inquisitio erat." Fere idem reperitur in Annalibus : Germanicus aegrotat et Piso nuntios mittit. Tacitus dicit: „simul missi a Pisone incusabantur, ut valetudinis adversa rimantes." Praeterea de Domitiano invenimus: „facilius gaudium quam metum

---

[1]) Tac. Ann. II 61.

[2]) Tac. Ann. I 69. Aliis verbis idem invenitur Ann. III 61. Cf. I 13, I 7.

[3]) Tac. Ann. II 69.

dissimulabat", quae verba Tiberium nobis in mentem vocant.

Cap. 44 45, ubi de extremis temporibus Domitiani agit, rhetoricam descriptionem postremorum annorum Tiberii in memoriam revocat.

Suetonii verba [1]) „numquam tristiorem sententiam sine praefatione clementiae pronuntiavit" plane quadrant cum iis, quae Tiberius fecisse traditur, in notissima epistola, qua Sejanus condemnatus est [2]). Domitianus nonnullis virtutibus quoque, quas in Tiberio invenimus, non carebat. Legimus eum jus diligenter dixisse [3]), provinciarum praesides severe coercuisse [4]), hereditates non adiisse. [5]) Domitianum commentarios et acta Tiberii lectitasse Suetonius testatur [6]), quod ostendit Domitianum Tiberium admiratum esse. Quae Dio scribit de moribus Domitiani, eorum complura cadunt in descriptionem Tiberii. Verba, quibus utitur in describenda Domitiani simulatione, etiam in descriptione Tiberii morum reperiuntur [7]); praeterea Dio tradit eum astrologiam coluisse, quod idem de Tiberio narrat [8]). Juvenalis de Domitiano agit in pulchra illa satira [9]), ubi notissima verba reperiuntur: „Prodigio par est in nobilitate senectus." Hoc odium in nobilitatem perversam etiam apud Tiberium reperimus. Adde Juvenalem

---

1) Suet. Dom. 11.

2) Juv. Sat. X 75 94.

3) Suet. Dom. 8, Tib. 33.

4) Suet. Dom. 8, Tib. 32. Tac. Ann. III 37, IV 6.

5) Suet. Dom. 9. Tac. Ann. II 48.

6) Suet. Dom. 20.

7) Dio LXVII 2 et LVII 1.

8) Dio LXVII 15.

9) Juv. Sat. IV 97. De Tiberio Tac. Ann. VI 10.

jocandi causa dicere: „Itur ad Atridem [1]," quod nomen etiam Tiberio inditum est [2]).

Constat mores Domitiani non plane dissimiles fuisse a Tiberii moribus sed ita, ut Tiberius, qui initio optimus princeps fuisset, senex deterior et nimis saevus factus sit, Domitianus vero primis annis satis bonus, sed extremis temporibus omnium pessimus fuerit. Domitianus imitatus est Tiberium sed quum Tiberii virtutes non attingeret, tum tristitiam ejus et saevitiam in pejus auxit. Quam veri simile est Tacitum ex iis, quae ipse vidit et quibus ipse interfuit [3]), aliqua sumpsisse in imagine Tiberii depingenda, qui non plane dissimilis Domitiano fuit!

Nerva et Trajanus succedunt. Aequales aureum seculum quoddam assecuti esse sibi videntur. „Raram temporum felicitatem esse [4]), beatissimi seculi lucem apparere [5])" Tacitus praedicat; Suetonius abstinentiam et moderationem principum laudat [6]); Martialis in lepido epigrammate de Nerva dicit: [7])

„Non est hic dominus, sed imperator,
Sed justissimus omnium senator,
Per quem de Stygia domo reducta est
Siccis rustica Veritas capillis."

---

[1]) Juv. Sat. IV 65.
[2]) Dio LVIII 24. Suet. Tib. 61, ubi vide, quae dicturus sum.
[3]) Tac. Agr. 45.
[4]) Tac. Hist. I 1.
[5]) Tac. Agr. 44.
[6]) Suet. Dom. 23.
[7]) Mart. Ep. X 72. Cf. etiam X 34.

De Trajani aetate videamus [1]), ad quam cognoscendam plurima Plinius confert. Hoc praecipue tenendum est Trajanum in omnibus rebus plane dissimilem fuisse Tiberio. Nerva et Trajanus simulabant se veterem illam rem publicam restituturos. Res olim dissociabiles miscebantur, principatus ac libertas [2]). Trajanus cum Bruto illo comparatur, qui reges civitate ejecit, quia „regnum ipsum, quaeque alia captivitas gignit, arcet ac summovet sedemque obtinet principis, ne sit domino locus [3])." Brutus et Cassius, qui Tiberii aetate latrones vocabantur [4]), laudibus extolluntur [5]). Trajanus in omnibus rebus similem se praebere studet duci rei publicae liberae, quemadmodum nostra aetate in Helvetia, in Gallia et in America fieri videmus. In omnibus rebus civilem se gerit, quae est laus praecipua principis; aedes ejus unicuique patent [6]), omnibus eum adire licet [7]); in circo inter populum, non in podio imperatorio consedit [8]), unum ex nobilibus se esse putat [9]). At enim quae est fides testimoniorum, quae Plinius tradit? Idem hac in re valet, quod de Vellejo dixi. Ostendunt haec certe Trajano gratum fuisse, quod homines ita de se loquerentur et

---

[1]) Optime de Trajano disputavit Johannes Dierauer in »Untersuchungen zur Römischen Kaisergeschichte", herausgegeben durch M. Büdinger. 1868.

[2]) Tac. Agr. 3. Plin. Paneg. 24.

[3]) Plin. Paneg. 55.

[4]) Tac. Ann. III 76, IV 34.

[5]) Plin. Ep. I 17. Capito Brutorum, Cassiorum et Catonum imagines domi habuit. Cf. Juv. Sat. V 36 et Marc. Aur. Comm. I 14.

[6]) Plin. Paneg. 48.

[7]) Plin. Paneg. 24.

[8]) Plin. Paneg. 51.

[9]) Plin. Paneg. 2. Eutr. VIII 5.

talem se existimarent. Si jam libertatem non dedit, demonstrant talia verba tamen eum libertati favisse. Sed eo, unde digressus sum, redeo. Erga senatum Trajanus modestissimus est [1]) et nobiles illustrat [2]). Eadem comitas ejus est erga milites [3]), erga duces parem se gerit [4]).

Quid multa de Trajani bellis dicam, quae omnibus nota sunt? Prudentius certe egit Tiberius, qui Augusti consilium secutus [5]) imperium coercuit et Hadrianus, qui initio principatus praesidia deduxit et contentus erat finibus, quos imperium ante Trajanum habuisset. Nihil perniciosius erat, nihil magis ruinam imperio attulit quam illa nimia magnitudo et Tiberius et Hadrianus plus hac in re viderunt quam Trajanus, attamen aequales Trajanum laudibus extollebant et quum maxime admirabantur. Trajanus praeterea magnam curam habebat ludorum [7]); Romam pulchris aedificiis ornabat adeo, ut nomen eius herba parietaria ob titulos multis aedificiis inscriptos a Constantino appellaretur [8]); delatores prohibebat [9]); crimen majestatis antiquavit. Non est mirandum, si his omnibus gratus et acceptus erat populo, quum praesertim etiam forma pulchra esset et artem studia populi sibi devinciendi maxime teneret. Ex animi sententia Plinius

---

[1]) Plin. Paneg. 65, 71, 76, 77 Mart. Epigr. X 72. Cf. Dio LXVIII, 7.

[2]) Plin. Paneg. 69.

[3]) Plin. Paneg. 18.

[4]) Plin. Paneg. 10 et 19.

[5]) Tac. Ann. I 10.

[6]) Plin. Paneg. 4 et 22.

[7]) Fronto ed. Niebuhr pag. 249, 250. Dio LXVIII 10.

[8]) Aur. Vict. Epit. 60 Cf. Dio LXVIII 7.

[9]) Plin. Paneg. 34.

praedicasse videtur eum principem esse speciei altissimae, quam aliquis animo sibi fingere possit, simillimum [2]) et Eutropius eum fuisse deo proximum [3]).

Trajani admiratio nocuit judicio, quod de Tiberio ejus aequales tulerunt: bella, aedificia, ludi principatui Tiberii deerant; comitas minime Tiberio propria erat; delatores sub principatu Tiberii vigebant. Tacito, qui videbat speciem quandam eximiam principatus, invisus Tiberius, qui tam dissimilis erat Trajano. Pauca his addam de Taciti indole et consilio.

Tacitus admirator est veteris rei publicae, in quo opinio sui temporis eum confirmavit. Ut Romanis antea reges et dictatores invisi fuerant, sic initio principatus Caesares plerisque odio erant. Quo factum est, ut Nerva et Trajanus veterem rempublicam se restituere velle simularent et ab eorum aequalibus saepe laudes rei publicae liberae et vituperationem tyrannidis accipiamus. Praeterea illa aetate secta Stoicorum floruit, qui semper libertatem pristinam desiderabant et Caesares tantis molestiis afficiebant, ut Vespasianus et Domitianus eos e civitate expellere necesse haberent. [4]) Quid mirum, si plurimi loci veniuntur, ex quibus patet Taciti judicium de superioribus principibus ex judicio de Trajani aetate pendere et inde materiem scribendi ei, ut ipse significat [5]), invisam esse.

Addam locos, ubi ejus admirationis indicia rei publicae liberae in sex prioribus libris Annalium reperitur.

---

1) Plin. Paneg. 42.
2) Plin. Paneg. 3.
3) Eutr. VIII 4.
4) Dio LXVI 13, Suet. Dom. 10.
5) Tac. Hist. I 1.

I 3. quotus quisque reliquus, qui rem publicam vidisset?

I 4. bona libertatis.

I 4. prisci et integri moris.

I 72. manebant etiam tum vestigia morientis libertatis.

II 82. Drusus libertatem reddere voluit.

III 66. Aegre fert Mamercum antiquitate abuti.

IV 19. quasi illud res publica esset.

IV 19. indignatur, quod Tiberius scelera nuper reperta priscis verbis obtegat.

V 1. sanctitate domus priscum ad morem.

VI 10. prisca severitate.

VI 22. antiquis et minus corruptis moribus.

VI 38. prisca virtute.

Quo etiam factum est, ut Tiberius ei invisus esset et admiraretur Germanicum filium Drusi, qui rem publicam restituere vellet [1]).

Sed mentis aciem quoque praestrinxit, quod erat assecla factionis optimatium. Si videmus, quanta difficultate plebs ad honores viam sibi munierit [2]), quam injusta judicia de Gracchis reperiantur [3]), quantis difficultatibus homines novi impedirentur [4]), quot verbis Vellejus usus sit in excusanda optione Sejani et quae opinio sit philosophi praeclari Senecae, ubi dicit nos, si quis malus nobilis sit, eum colere debere, quia maiores eum illustrent [5]), intelligimus hanc admiratio-

---

[1]) Suet. Claud. 1. Tac. Ann. I 33, II 82.

[2]) Utile est conferre Liv. IV 1—5.

[3]) ut Tac. Ann. III 27.

[4]) Cf. Cic. Pro Mur. 15, 16, 17 et 18.

[5]) Sen. De Benef. IV 30.

nem optimatium Romanis penitus insitam fuisse. Quo amore et studio Tiberius immunis fuit; amici intimi ejus Lucilius Longus et Sejanus homines novi fuerunt, at nobiles rerum repetundarum accusati condemnabantur. Domitianus quoque nobiles spernebat [2]) sed Trajanus eosdem [3]) honore afficiebat.

Tacitus semper commemorat originem uniuscuiusque et natales, ut I 3. „M. Agrippam ignobilem loco", I 53. „Gracchum familia nobili." II 37. „Hortalus nobilis juvenis". III 22. „Lepida, cui super Aemiliorum decus L. Sulla et Cn. Pompejus proavi erant." III 48. „Quirinus nihil ad veterem et patriciam Sulpiciorum familiam pertinuit, ortus apud municipium Lanuvium". III 75. „Capito Atejus avo centurione Sullano." IV 20. „Cassius Severus sordidae originis". VI 8. „ignobilitatem suam". VI 16. „e vetustissimis familiarum". VI 33. „Lamiae genus decorum, Lepidi nobilitas non demonstranda est". VI 35. „Mamercus insignis nobilitate". VI 45. „modicae originis."

Compluribus locis judicium ejus hac re pervertitur. Dabo exempla.

I 29. nihil in vulgo modicum. Adde Hist. I 4, Hist. I 90, Hist. IV 38.

II 37. injustum in causa Hortali judicium, quia hic nobilis est.

II 43. Pomponius Atticus dedecet Claudiorum imagines.

III 22. Lepidae quamvis infamis ac nocentis nobilitas Tacito miserationem injicit.

III 24. „illustrium domuum adversa" cum deploratione de sceleribus dicitur.

---

[1]) Juv. Sat. IV 97.

[2]) Plin. Paneg. 69.

III 27. Gracchi turbatores plebis.

III 31. Opus publice usui habitum, sed exitiosum nobilibus improbatur.

III 48. Quirinus vituperatur ob judicium de Lepida femina nobili.

III 11. Silanus sine dubio noxius est, ut Tacitus affirmat, sed tamen deploratur, quia nobilis est.

IV 3. Sejanus municipalis adulter.

IV 13. In causa, Gracchi viri nobilis Tacitus ostendit, quantopere nobilitati faveat.

IV 15. Patres Lucilio Longo, *quamquam novo homini*, censorium funus decrevere.

IV 31. „His tam maestis" de judiciis justis erga nobiles.

IV 33. Multorum, qui sub Tiberio poenam subiere, posteros manere queritur.

VI 33. Pars maeroris fuit, quod Julia in domum equitis nupsit. Verba: „corruptis moribus, illustri tamen fortuna" de Aemiliis dicuntur.

VI 35. Mamercus Scaurus vita probrosus, ut dignum veteribus Aemiliis, damnationem anteiit.

Jam ostendi Tiberium nobilibus invisum fuisse propter severitatem in judiciis et amicitiam Sejani. Hinc etiam Tacito Tiberius invisus erat. Occurrunt multa judicia nobilium apud Tacitum, de quibus judicare non possumus, sed in his rebus Tacitus suspectus videtur, quod nobilitatem nimis admiratur.

Parvum quoddam addam de indole Taciti. Non amat Stoicam illam constantiam in dolore, ut ipse testatur [1]).

---

[1]) Tac. Agr. 29.

Ita factum est, ut patientia Tiberii in morte Drusi [1]) ei invisa esset et ex tranquillitate ejusdem in morte Germanici colligeret eum filium adoptivum odisse.

Quid Tacitus in historia scribenda sibi proposuit?

Trajanus quum in Germania nuntium accepisset mortis Nervae, aliquamdiu ibi moratus est, quamquam civium desideria eum revocabant [2]) et summo studio cupiebant, ut Rhenus eum remitteret [3]). In eo desiderio omnium Tacitus librum de Germania scribit, ut ostenderet in quibus regionibus Trajanus res bellicas gereret [4]); simul ea occasione usus est ad mores Germanorum Romanis opponendos. Tacitus et Plinius, qui sub Domitiano honoribus functi erant, omni studio, ut fit, operam dabant, ut gratiam Trajani sibi conciliarent et se purgarent iis, quae antea fecissent. Plinius Panegyricum scripsit, quo acerbissime Domitianum carpsit [5]), et secum statuit occiso Domitiano magnam sibi materiam esse insectandi nocentes et se proferendi [6]). Tacitus postquam libro de Germania Caesaris gratiam captavit, deinceps Agricolam et Historias edidit, qui libri facultatem ei praebebant Domitianum perstringendi. In Historiis locus est, qui luculenter ostendit eum occasionem non negligere Trajanum laudandi, ubi verba tradit, quibus Galba in adoptatione Pisonis usus est [7]), quae-

[1]) Tac. Ann. IV 8.

[2]) Plin. Paneg. 20. Cf. 10.

[3]) Mart Ep. X 7.

[4]) J. Dierauer in libro supra laudato pag. 34 hanc rem primus ostendit.

[5]) Plin. Paneg. 49, 52, 82. Cf. in primis 53.

[6]) Sunt verba Plinii ipsius, quae occurrunt Ep. IX 13, 2.

[7]) Tac. Hist. I 15.

que plane congruunt cum iis, quibus Plinius de adoptatione Trajani utitur [1]). His Juvenalem addere possumus, qui in satiris Domitianum et reliquos principes atris coloribus depinxit.

In Annalibus quoque Tacito Trajanus semper ob mentem obversatur; quod luce clarius ex duobis locis apparet, ubi queritur bellicam gloriam a Tiberio parvi aestimatam esse eundemque proferendi imperii incuriosum fuisse [2]) et ex studio, quo res gestas describit, quibus paene tertiam partem sex priorum librorum Annalium complet. Haec etiam est causa, cur Germanicus tantis laudibus efferatur; ex iis, quae praesens viderat, Tiberium et Germanicum animo sibi finxit. Exemplum alterius Domitianus, alterius Trajanus erat. Quamquam ipse profitetur initio Annalium se sine studio aut ira scripturum, hoc tamen valde neglexit: nobiles et optimates miratur, Germanicum amat, Tiberium odit.

Alius locus est, ubi de eo, quod sibi proposuit, nos certiores facit. Excusat se, quod res scribat, quae minimum oblectationis afferant [3]). Hoc ostendit eum arbitrari et historiam voluptatem legentibus afferre oportere et opus oratorium esse [4]). Haec autem primaria causa est, cur tota historia antiqua incerta sit, namque dum elegantiae et pulchritudini consulitur, veritas corrumpitur. Recte Macaulay dixisse mihi videtur totam veterem historiam pertinere ad id litterarum genus, quod,

---

[1]) Plin. Paneg. 7. Nissen hoc primus ostendit Rhein. Museum. 1871.

[2]) Tac. Ann. IV 4, IV 32.

[3]) Tac. Ann. I, Hist. I 1.

[4]) Cic. de Leg. I 2.

narratio historica appellatur. Hanc ob rem Vopiscus inter se opponit diserte ac vere scribere [1]). Jure miramur, si talia judicia reperimus: „licebit etiam falso affingere, quidquid fieri solet [2])" et „concessum est ementiri in historiis" [3]), si scriptum invenimus historiam opus oratorium maxime esse, proximam esse poetis [4]) et historicorum eloquentiam laudari [5]), Plinius unus affirmat: „historia quoquo modo scripta delectat" [6]) et „historia non assentationi sed fidei veritatique componitur" [7]). Veteres historici eo curam intendunt, ut pulchrum opus faciant; negligunt sedulo quaerere, quae vera sint necne; saepe res verbis exornant et veritati nocent. Amat Tacitus bella depingere, quae ei pulcherrimam materiam praeclarae descriptionis suppetunt. Etiam hac in re Tiberium sibi invisum esse ipse fatetur [8]). Cupide omnes occasiones, quae ei offeruntur, arripit; omnem verborum ornatum in Germanici rebus gestis enarrandis consumit; parva bella plurimis verbis describit. Ubique ostendit gloriam militarem sibi gratam esse, ut in rebus gestis Corbulonis et Agricolae tradendis, quod fecisse eum contendo, partim ut Trajano placeret, partim studio rhetorico adductum. Tantum erat ingenium Taciti, ut etiam praclara arte judicia describeret, quo nihil veritati perniciosius est.

---

[1]) Vop. Prob. 2, 7.
[2]) Quint. Inst. Orat. VIII 3.
[3]) Cic. Brut. XI 42.
[4]) Quint. Inst. Orat. XI 31.
[5]) Tac. Dial. 23, 26.
[6]) Plin. Ep. V 8, 4 et 9.
[7]) Plin. Ep. VII 17, 3.
[8]) Tac. Ann. IV 33.

Non est negandum id, quod fidei historicae noceat, si artem Taciti respiciamus, nobis placere. Si res gestas narrat, delectamur, si intimas cogitationes et sermones, quibus nemo interfuit, in opus suum inserit, ab historia quidem discedit et genus, quod hodie: „romanticum" appellamus, profert sed compositionis artem non admirari non possumus. Semper Tacitum legemus, semper eum tamquam principem scriptorum Romanorum aetatis imperatoriae colemus, semper confitebimur eum maximum pictorem antiquitatis esse; sed historicus tantum quaerit veritatem, quae arte rhetorica corrumpitur. Pulchritudo et veritas sane non sunt res dissociabiles, sed tamen admodum pauci reperiuntur, qui utraque re excellant, quorum numero Tacitum ascribere non possumus. Dabo exempla, ubi rhetorica veritati nocere videtur.

Liber I et II. Descriptio tumultus in Germania et rerum gestarum Germanici, quae nonnumquam velut carmen epicum sonat, v. c. I 25. „Illi quotiens oculos ad multitudinem rettulerant, vocibus truculentis strepere, rursum viso Caesare trepidare; murmur incertum, atrox clamor et repente quies; diversis animorum motibus parebant terrebantque". I 65. „Ducemque terruit dira quies: nam Quintilium Varum sanguine oblitum et paludibus emersum cernere et audire visus est velut vocantem". II 19. „Haud perinde Germanos vulnera, luctus, excidia quam ea species (scil. tropaeum a Germanico erectum) dolore et ira affecit". In his omnibus ars eximia conspicitur, quae tamen veritati nocet.

II 40. Pseudo-Agrippa conjurationem init, „cum Tiberium anceps cura distrahere, vine militum servum suum coerceret an inanem credulitatem tempore ipso vanescere sineret: modo

nihil spernendum, modo non omnia metuenda ambiguus pudoris ac metus reputabat". Quae etsi pulchris verbis narrata tamen ei non vera videbuntur, qui cetera legerit.

II 50. „Adolescebat interea lex majestatis". Sunt verba inania. Una causa Appulejae invenitur, quae lege majestatis liberata est.

II 73. „Erant, qui Germanici formam, aetatem, genus mortis magni Alexandri fatis adaequarent". Etiam pluribus verbis in hac comparatione utitur; hoc nimium esse quis non concedit?

III 4. Praeclara descriptio luctus de Germanici morte. Si verba dabo, nil opus addere: „Dies, quo reliquiae tumulo Augusti inferebantur, modo per silentium vastus, modo ploratibus inquies; plena urbis itinera, conlucentes per campum Martis faces. Illic miles cum armis, sine insignibus magistratus, populus per tribus concidisse rem publicam, nihil spei reliquum clamitabant."

III 11. „Populus plus sibi in principem occultae vocis aut suspicacis silentii permisit". Non sunt verba historico generi accommodata. Idem valet de

III 17. „Secreti questus."

III 38. „Non enim Tiberius, non accusatores fatiscebant". Verba sunt insidiosa in Tiberium sed non vera. Majestatis decem homines accusati erant, quorum septem absoluti sunt; Libo et Piso semetipsos interfecerunt, Pseudo-Agrippa jure necatus est.

III 66. „Paulatim dehinc ab indecoris ad infesta transgrediebatur". Haec praefatio, ut ita dicam, novi capitis veritati nocet, quemadmodum etiam II 50, III 38, IV 31 et IV 66. Narrat Silani causam, qui, ut verbis ipsius Taciti utar, non dubius saevitiae captarumque pecuniarum tenebatur reus.

IV 17. Sermo Sejani cum Tiberio in historia narrari non potest, quia nemo ei interfuit nisi Tiberius et Sejanus, quos non veri simile est verba illa evulgavisse.

IV 31. „His tam assiduis tamque maestis." Illo anno tres causae memoriae proditae sunt hominum, quorum unus nocens fuisse a Tacito ipso dicitur.

IV 66. „Accusatorum major in dies et infestior vis sine levamento grassabatur." Unam causam nobis narrat Tacitus.

IV 70. Rem satis ineptam rhetorice peperit. Reperimus: „obducta veste" et „quo intendisset oculos." Quod difficile erat factu, nisi forte vestis Serica esset.

VI 25. „Jacuit immensa strages, omnis sexus, omnis aetas, illustres, ignobiles, dispersi aut aggerati." Praeclaram descriptionem, sed si jejunum scriptorem Suetonium adimus, numerum XX invenimus [1]).

VI 45. Idem de hoc loco valet: „quasi aspiciens undantem per domos sanguinem aut manus carnificum."

Hi loci facile augeri possunt, sed quod prolatis jam satis meam opinionem confirmari censeo, alios consulto praetereo.

Jam de fontibus agendum est. Primo capite ostendi, quos fontes Tacitus adhibere potuerit, nunc quaeram, quem scriptorem in primis adhibuerit et quo modo eo usus sit? Mihi videtur hac in re latum spatium propositum esse variis conjecturis neque tamen certa fide nitentibus. O. Clason se invenisse putat, quod sane multo acumine ostendit, Aufidium Bassum praecipuum ejus fontem esse [2]). Sed si jam constaret Tacitum ex eo fonte hausisse, quo modo judicare possumus de fide

---

1) Suet. Tib. 61. Dio LXIII 21.

2) O. Clason. Tacitus und Sueton. 1870.

huius auctoris? Quamquam non ignoro multos aliter sentire, libere profiteor me non perspicere utilitatem huius inquisitionis, si tamen ad incognitos fontes pervenimus. Aliter se res habet, si duo scriptores adhuc supersunt et nobis judicandum est, utrum alter altero usus sit necne, vel utrum iisdem auctoribus usi sint annon, quod magnopere nostra interesse arbitror. Quo modo antiquiores scriptores Tacitus adhibuerit, difficile est statuere. Veri simile est eum non illos adverbum descripsisse sed multa de suo addidisse. Facta inde hausit; modus scribendi, unde omnia pendent, inde non provenit. Pulchram descriptionem rerum gestarum et judiciorum, laudes Germanici et vituperationem Tiberii in rebus omnibus non ex aliis eum deprompsisse puto sed de suo dedisse. Haec tantummodo constant: Tacitum curam fontium habuisse, qui a Plinio Minore peteret narrationem mortis avunculi, deinde eum artem criticam in iisdem adhibendis non omnino neglexisse, quum sciret historiam cum ira et studio scriptam esse [2], tum vero eum complures auctores consuluisse, denique eum usum esse etiam auctoribus Tiberio infensis [3].

Tacitus reprehendendus est, quia rumores in historiam inserit, quos ipse saepe non ignorat falsos esse. Odiosis rumoribus delectari videtur, quos contra Tiberium adhibeat, ut exempla demonstrabunt, ubi tamen eum corripere non possumus, quia septemplici clipeo se protegit, dicens: „penes auctorem fides esto [4]."

---

[1]) Plin. Ep. VI 16.

[2]) Tac. Ann. I 1.

[3]) Tac. Ann. IV 11, IV 53.

[4]) Sunt verba Senecae Nat. Quaest. IV. 3.

Ann. I 4. Tiberius Rhodi exul nil aliud, nisi iram et simulationem et secretas libidines meditatus esse dicitur. Quod falsum esse ostendunt et verba ipsius Taciti: „egregius vita famaque, quoad privatus vel in imperiis sub Augusto fuit [1])" et silentium Suetonii, qui talia captat.

I 5. Rumor incedit Augustum a Livia interfectum esse. Extrema verba Augusti: „Livia, nostri conjugii memor vive ac vale" [2]) eorum mutuum amorem ostendunt, quem etiam Suetonius his verbis testatur: „quam dilexit et probavit unice ac perseveravit." [3])

Praeterea rumor est Augustum ad visendum Agrippam Planasiam vectum esse, quod non veri simile est. Vide ad Vell. II 112.

I 10. Rumor invenitur, tamquam Tiberius ab Augusto electus esset, ut comparatione deterrima sibi gloriam quaereret, quod ne Suetonius quidem credit, quia Augustus prudentissimus princeps nihil temere in tanto praesertim negotio ei egisse videtur et quia epistolae Augusti erga Tiberium benevolam mentem ostendunt [4]).

II 43. Credidere quidam data Pisoni a Tiberio occulta mandata. Est rumor, nullo alio argumento nixus, nisi quod Tiberius Germanicum odisse putatur.

II 55. Piso legiones Germanici corrumpit: haud invito Tiberio ea fieri occultus rumor incedebat. Idem de hoc capite valet ac de II 43.

---

1) Tac. Ann. VI 59.
2) Suet. Aug. 99.
3) Suet. Aug. 62.
4) Suet. Tib. 21.

II 82. Vulgi sermones. Pisoni provincia permissa est ad interficiendum Germanicum; Drusus major interemptus est, quia populo Romano libertatem reddere volebat. Quod ad secundum rumorem attinet, Suetonius tradit Tiberium eum prodidisse [1]), quod tamen valde dubium est, quia constat Tiberium fratrem amasse.

III 5. Fuere, qui in funere Germanici majorem pompam requirerent. Omnia, quae potuerant fieri, facta sunt; sed quia corpus jam Antiochiae crematum erat, haec pars funeri deerat.

III 8. Piso Drusum adiit, qui caute ei respondit. Quamquam Tiberius non potuit scire, Pisonem id facturum, tamen Tacitus addit: „neque dubitabantur praescripta ei a Tiberio."

III 16. Pisoni libellus in manibus fuisse dicitur, qui Tiberii literas et mandata in Germanicum continebat, quod tamen vel Tacito incertum videtur.

IV 10, 11. Rumores de Drusi morte, quos Tacitus ipse refutat.

IV 57. Rumores de iis, quae Tiberius Rhodi egit. Vide ad I 4. Praeterea hoc capite reperimus insidiosas causas, cur Capreas iret.

V 3. Epistolas quasdam ab Augusta cohibitas esse credidit vulgus, quia post. ejus mortem recitatae essent. Fieri non potest, ut Tacitus huic rumori fidem tribuat et credat tantam potentiam Liviae esse.

Etiam aliis locis simile vitium reperitur, ubi lectori optionem dat sed loco, quo ponitur, vel modo, quo dicitur, malae inter-

---

[1]) Suet. Tib. 50.

[2]) Val. Max. V 5, 3. Sen. ad Polyb. XV 5.

pretationi ansam praebet, cui Tacitum assentiri apparet, quum simulet se lectori eligendi potestatem faecre. Quum aequus esse videatur, tamen iniquus est et hi loci non minus quam rumores, quos supra enumeravi, Tiberii memoriae nocuerunt.

Tacitus in his saepe perfidus est et inter legendum illud Horatianum: „Hic nigrae sucus loliginis, haec est aerugo mera" saepe in mentem mihi venit.

I 3. „Mors fato prospera vel novercae Liviae dolus Gaium abstulit". Vide ad IV 71.

I 11. Augustus consilium coercendi intra terminos imperii dedit, „incertum metu an per invidiam". Vera causa, quod imperium jam satis magnum esset, desideratur.

I 62. Germanicus trium legionum ossa condidit, „quod Tiberio haud probatum, seu cuncta Germanici in deterius trahenti, sive exercitum imagine caesorum tardatum ad proelia et formidolosiorem hostium credebat". Prima causa non addi debuit; secunda causa tantum vera est.

I 76. Cur abstinuerit spectaculo ipse, varie tradebant; „alii taedio coetus, quidam tristitia ingenii et metu comparationis, quia Augustus comiter interfuisset"; alium rumorem, quod Tiberius filium ferocem jussisset ludis interesse ad movendas populi offensiones, ipse Tacitus refutat. Duas alias causas non reperimus, quod Tiberius non delectaretur ludis et quod sumptibus gravaretur.

I 80. Causae Tiberii consilii imperia continuandi varie traduntur: „alii taedio novae curae semel placita pro aeternis servavisse, quidam invidia, ne plures fruerentur, sunt qui existiment, ut callidum eius ingenium, ita anxium judicium".

Vera causa, ut provinciae prosperitate florerent, si rectores haberent, qui longo usu earum commoda cognovissent et per complures annos pecuniam ex provincia colligere possent [1]), quo factum est, ut complures provinciam recusarent [2]), non invenitur; in hoc autem Augustus ei norma fuit [3]).

II 42. „Archelaus vitam sponte an fato implet." Secunda causa vera videtur. [4]).

III 42. „Tiberius atque Augusta publico abstinuere, inferius majestate sua rati si palam lamentarentur, an ne omnium oculis vultum eorum scrutantibus falsi intelligerentur". Vera causa paucioribus verbis quam falsa causa traditur, quae ipsa est insidiosa Tiberio.

III 3. Antonia, Germanici mater, funeri non adest. Plures rationes redduntur, infirma valetudo vel quia animus magnitudem mali perferre visu non toleravit. Addit Tacitus: „Facilius crediderim eam Tiberio cohibitam esse", quae causa maxime eminet.

III 22. Druso non licet primo loco sententiam dicere: „quod alii civile rebantur, ne ceteris assentiendi necessitas fieret, quidam ad saevitiam trahebant: neque enim cessurum nisi damnandi officio". Prior causa verior videtur.

III 44. Bello orto Tiberius in securitatem compositus est „altitudine animi, an comperiret modica esse et vulgatis leviora." Posterior causa unice vera est.

---

1) Ultima ea causa invenitur apud Flavium Josephum Ant. Jud. XVIII 16, 5, ubi rectores provinciarum cum muscis comparantur, quas si a cadavere depuleris, aliae veniunt. Summis laudibus condicionem imperii effert Phil. Leg. ad Cajum.

2) Tac. Ann. IV 33.

3) Suet. Aug. 23.

4) Dio LVII 17.

III 64. „Sincera adhuc inter matrem filiumque concordia sive occultis odiis." Secunda causa cum veritate pugnat.

IV 8. Post mortem Drusi Tiberius curiam ingreditur „nullo metu an ut firmitudinem animi ostentaret." Vera causa est, quod Tiberius ostentationem doloris non amavit [1]).

IV 38. Tiberius recusat sibi templum exstrui, „quod alii modestiam, multi quia diffideret, quidam ut degeneris animi interpretabantur." Primae causae, quam justam esse unusquisque facile perspicit, qui eum honores sprevisse et adulationem odisse [2]) novit, pluribus verbis alias adjungit, quae risum moverent, nisi potius irasceremur tanta iniquitate et perversitate. Suetonius quoque simile quid ex epistolis Tiberii hausit. Infortunatum illum, cujus egregia verba tam perverse intellecta sint.

VI 44. Tiberius literas probrosas recitari jussit, „contemptor suae infamiae, an scelerum Sejani diu nescius malebat per probra veritatis saltem gnarus fieri." Vera causa fuisse videtur, quod homines contemneret.

Jam eos locos tractabo, ubi Tacitus judicium iniquum tulit vel a veritate deflexit. De compluribus locis jam egit Vir Cl. Karsten in sua disputatione de fide Taciti. Luculenter is ostendit, quam iniquus Tacitus sit in iis, quae de Germanico memoriae prodidit. Maxime hi loci offendunt lectorem:

I 33. „Germancius anxius occultis odiis Tiberii."

I 52. „Tiberius bellica quoque Germanici gloria angebatur."

---

[1]) Dio LVII 14. Cf. 22.

[2]) Cf. pag. 9 locos, quos laudavi.

[3]) Suet. Tib. 67.

II 5. Germanicus in Orientem missus, dolo et casibus objectari dicitur.

II 26. „Quamquam Germanicns intelligeret se per invidiam parto jam decori abstrahi."

II 42. Tiberius honores Germanico tribuit, additur: „nec ideo *sincerae* caritatis fidem assecutus *amoliri* juvenem *specie* honoris statuit *struxitque* causas vel forte oblatas *arripuit.*

II 43. „Credidere quidam data Pisoni occulta mandata."

II 43. „Germanico alienatio patrui amorem apud ceteros auxerat."

II 69. „Persuasio veneni a Pisone accepti."

II 77. „Periisse Germanicum nulli jactantius maerent, quam qui maxime laetantur."

III 2. „Gnaris omnibus laetam Tiberio Germanici mortem male dissimulari."

III 10. Tiberius in causa Germanici innexus conscientiae matris esse dicitur.

III 16. „Audire me memini ex senioribus visum saepius inter manus Pisonis libellum, qui contineret literas et mandata Tiberii in Germanicum."

III 31. »Germanici honor non laetus Tiberio fuit."

IV 1. „Germanici mortem inter prospera ducebat."

Tam accurate et diligenter Vir Cl. Karsten hanc partem tractavit, ut nihil sit quod addam. De his locis igitur tacebo, etiam in iis, quae de causa Libonis narrantur (II 27—33), ad hunc librum referendum esse censeo.

I 3. De adoptatione Tiberii egi ad Vell. II 103.

I 5. De morte Augusti ad Vell. II 123.

I 6. De caede Agrippae Postumi ad Vell. II 112.

I 7. De causis recusandi imperii ad Vell. II 124.

I 7. De adoptatione Tiberii etiam hoc capite agitur, de qua omnia collegi ad Vell. II 102.

I 7. „Verba, vultus in crimen detorquens recondebat". Admodum odiosa sunt verba, quae non confirmantur iis, quae narrantur I 14, ut ostendam.

I 8. „Arroganti moderatione remisit honores". Qua re illa moderatio arrogans appelletur, non intelligo, quia Tiberius semper moderatus in honoribus fuit.

I 14. Gallus Asinius, Arruntius et Piso a Tiberio mox criminibus circumventi esse dicuntur. Gallus Asinius non mox, sed post Sejani interitum in carcere mortuus est [1], Arruntius mortem sibi conscivit [2]; Piso invito Tiberio accusatus est. De odio adversus Haterium [3]) nihil invenimus. Haterius fato obiit [4], Scaurus ob aliam causam accusatus mortem sibi conscivit [5]

I 14. Tiberius obstitit honoribus Liviae. Additur: „in deminutionem sui accipiens et anxius invidia". Verba ipsa satis loquuntur.

I 24. Si quis vulgus Romae cognoverit, laudabit Tiberium tristissima quaeque rebellionis occultantem, quod non Tacitus facit, qui eum abstrusum appellat.

I 29. Si Drusus rebellionis auctores sustulit, nihil facit, quod vituperatione dignum sit; vel nostro tempore non aliter agitur.

---

1) Tac. Ann. VI 29.
2) Tac. Ann. VI 54.
3) Tac. Ann. III 12.
4) Tac. Ann. IV 61.
5) Tac. Ann. VI 35.

Tacitus autem eum his verbis accusat: „promptus erat ad asperiora", quia Tiberii filius est et miti Germanico opponitur.

I 53. „Juliam tabe *longa* peremit". Julia tamen mortua est paucis mensibus, postquam Tiberius principatum adeptus est [1]). Etiam Augustus severus erga filiam fuit [2]). Tiberius neque in hujus morte neque in Gracchi, qui eum offenderat, quidquam commisit, quod reprehendamus. Attamen Tacitus incusat Tiberium, ut verba: „par causa saevitiae" ostendunt et admiratur Gracchum.

I 69. Jure Tiberius aegre fert, quod Agrippina imperatoris vice fungatur et studia militum quaerat. Tacitus vituperat Tiberium: haud mirum, namque Germanicum et Agrippinam amat, Tiberium odit.

I 72. „Hunc quoque exasperavere carmina". Quod tamen aliis locis confirmari non videmus, e. g. C. Cominium probrosi in se carminis convictum, Tiberius precibus fratris concessit [3]) et Suetonius plane negat [4]).

I 73. „quanta Tiberii arte gravissimum exitium irrepserit". Hoc de lege majestatis dicitur, quae jam sub Augusto exercebatur [5]).

I 74. „Foedissima quaeque in Tiberium dicta esse putantur, quia vera erant. At hanc partem principatus omnes laudant, vel Tacitus ipse [6]).

---

[1]) Suet. Tib. 50.
[2]) Suet. Aug. 65.
[3]) Tac. Ann. IV 31. Suet. Tib. 28.
[4]) Suet. Tib. 28.
[5]) Tac. Ann. I 72.
[6]) Tac. Ann. VI 57.

I 75. „Nec patrum cognitionibus satiatus." Turpiter Tacitus Tiberium accusat, quod non bonum otium transigat sed ipse negotiis adsit.

„Dum veritati consulitur, libertas corrumpebatur." Jure Duruy in libro, quem supra laudavi, exclamat: „Qualis libertas, dii immortales! illa libertas, qua justitia corrumpitur vel venalis est."

Jubet Tiberius eos, qui pecuniam rogant, causam senatui probare, quod Tacitus injuria vituperat.

„Unde ceteri silentium beneficio praeposuere," quod ex Tacito ipso refutatur, dicente M. Hortalum pecuniam rogasse [1]) et Tiberium honestam innocentium paupertatem levasse [2]).

I 76. Quum Tiberis plana urbis stagnet, Tiberius non libros Sibyllinos adit sed quibusdam mandat, ut ejus rei curam haberent, quod Tacitus his verbis exprobat: „perinde humana divinaque obtegens."

I 81. Tiberius consules per comitia creandos curat, Tacitus addit: „inania aut subdola." Inania profecto erant, at non est, cur ea subdola appellemus.

II 30. Novi juris repertor Tiberius dicitur, quia mancipari singulos servos actori publico dicit, quod tamen jam ab Augusto factum esse constat [3]).

II 36. Tiberius negat in quinquennium magistratuum comitia habenda, in quo sine causa Tacitus de oratione favorabili in speciem loquitur, quum unusquisque verbis ejus assentiatur.

---

[1]) Tac. Ann. II 37.
[2]) Tac. Ann. II 48.
[3]) Dio LV 5.

II 38. Hortalus, nepos Hortensii, qui jam ab Augusto deciens acceperat, pecuniam rogat. Recte Tiberius respondit: „Languescet industria, intendetur socordia, si nullus ex se metus aut spes, et securi omnes aliena subsidia exspectabunt, sibi ignavi, nobis graves". Tacitus tamen hoc exprobrat et in Tiberium etiam haec verba jactat: „inclinatio senatus incitamentum Tiberio fuit, quo promptius adversaretur".

II 42. „Ut versa Caesarum subole imperium Tiberius adeptus est". Vertere hoc loco significat evertere, interficere. His, verbis Livia accusatur, tamquam Cajum et Lucium interfecerit, quod tamen admodum incertum est. Suetonius [1]) et Florus [2]) non commemorant hunc rumorem; Tacitus alio loco dubitat [3]); Dio rumorem fuisse dicit [4]).

II 43. Tiberius magis amat Drusum, quam Germanicum. Tacitus non sibi constat, qui alio loco dicat Tiberium integrum judicium inter eos servasse [5]).

II 44. Drusus contra Suebos mittitur. Tacitus addit: „Suebi praetendebantur auxilium orantes." Omnia, quae Tiberius facit, Tacitus in deterius trahit. Suebis auxilium rogantibus filium mittit; Tacitus tamen credit veram causam fuisse, ut filium urbe summoveret.

II 51. „Laetabatur Tiberius, quum inter filios ejus et leges senatus disceptaret." Amat Tacitus verbis odiosis in Tiberium invehi, sed hac in re argumenta desunt.

---

[1]) Suet. Aug. 65.

[2]) Flor. IV 12. 43.

[3]) Tac. Ann. I 3.

[4]) Dio LV 11.

[5]) Tac. Ann. III 56.

II 52. „Triumphalia insignia Camillo ob modestiam vitae impune fuere.“ Insidiosa est observatio, non tamen vera, compluribus tributa sunt illa insignia [1]), C. Silius solus ob alias causas accusatus est.

II 84. Tiberius avus factus est duorum nepotum. Quis Tiberio vitio verteret, si hac re laetaretur? Tacito ansam praebet Tiberium jactantiae accusandi, qui addit: „cuncta, etiam fortuita ad gloriam vertebat“, quo vitio tamen Tiberius plane liber est.

II 87. „Unde angusta et lubrica oratio sub principe, qui libertatem metuebat, adulationem oderat.“ De re praeclara agitur, quum appellationem parentis patriae recusaret. Non est verum Tiberium libertatem metuisse. Complura exempla apud Tacitum reperiuntur, ubi senatores libere loquuntur, ut in disputatione de luxu [2]), quid, quod ipse Tacitus dicit: „dabatur primoribus disserere et in adulationem lapsos cohibebat ipse“ [3]). Praeterea Suetonius Tiberii dictum commemorat, linguam mentemque liberas esse debere [4]).

III 5. „Ubi illa meditata ad memoriam virtutis carmina?“ Carmina tamen non deerant; Lutorius Priscus enim celebre carmen composuerat, ut Tacitus ipse dixit [5]).

III 16. Pisone mortuo Tiberium legimus flexo in maestitiam ore fuisse. Non est autem, cur Tiberius in morte amici maestitiae simulatae accusetur.

---

1) Tac. Ann. I 72, IV 44, IV 64.
2) Tac. Ann. II 33. Cf. II 35.
3) Tac. Ann. IV 6.
4) Suet. Tib. 21.
5) Tac. Ann. III 49.

III 18. Tiberius clemens erga filios Pisonis est. Tacitus affirmat hoc factum esse, quia eum puduit absolutae Plancinae. Quae causa insidiose affertur, quum saepe Tiberius clementiae documenta ediderit [1]).

III 29. Tiberius a senatu petit, ut honores filio Germanici tribuantur. Additur: „non sine inrisu audientium", quod eo magis reprehensione dignum, quia Tiberius initio principatus semper senatui honorem habuit.

III 31. „Tiberius *quasi* firmandae valetudini in Campaniam concessit." Non est, quod *quasi* addatur, si cogitemus, qua aetate Tiberius fuerit et quibus laboribus perfunctus esset, quum praesertim Tacitus ipse de fessa ejus aetate et actis laboribus loquatur [2]).

III 37. A Druso secreta patris mitigari dicuntur, praeterea princeps vituperatur, quod solus et nullis voluptatibus avocatus maestam vigilantiam et malas curas exerceret. Quam odiosa haec omnia sint, nihil opus est me demonstrare.

III 44. „Miseram pacem vel bello bene mutari". Hoc loco injuria Tacitus pacem miseram esse dicit, quum satis constet ex Tacito ipso [3]) Tiberium Druso superstite summa laude dignum fuisse.

„Sejanus rei publicae pari exitio viguit ceciditque." Quum legamus Sejanum initio bonis artibus notescere voluisse [4]), hoc non verum esse apparet.

---

[1]) Tac. Ann. III 50.
[2]) Tac. Ann. III 59.
[3]) Tac. Ann. VI 57.
[4]) Tac. Ann. IV 7.

IV 15. „Notis in eum Sejani odiis Nero gratior populo erat." Est rumor e rerum eventu ortus, quum odium Sejani postea demum patefactum sit.

IV 17. Nimii honores liberis Germanici tribuuntur; quod aegre fert Tiberius, qui in ea re nihil fecit vituperatione dignum. Constat Augustum summo amore nepotes dilexisse, qui tamen idem fecisse dicitur [1]).

IV 18. C. Silius et uxor non dubie repetundarum criminibus haerebant et C. Silius insuper jactaverat non Tiberio mansurum imperium, si ejus legiones rebellassent. Dignae sunt causae, cur condemnarentur; Tacitus tamen asseverat propter amicitiam Germanici id esse factum.

IV 20. Miratur Tacitus Lepidum amicum Tiberii fuisse, in quorum numero tamen etiam Cn. Lentulus et Coccejus Nerva sunt, qui magnopere a Tacito laudantur [2]).

IV 27. „Bellum fors oppressit." Quod non verum esse sequentia ostendunt, ubi egregia Tiberii consilia id oppressisse apparet.

IV 28. „Quia periculum pro exitio habebatur," quibus verbis Tacitus significat neminem absolutum esse, quod non verum esse ubique apparet [3]).

IV 29. Tiberii aures superbae et offensioni proniores esse dicuntur. Alia saepe Tacitus tradit [4]); Tiberius patienti animo contumelias ferebat [5]).

---

[1]) Suet. Aug. 56. Dio LV 9.

[2]) Tac. Ann. IV 29, 44, IV 58, VI 32.

[3]) Tac. Ann. I 74, III 37, III 38, IV 31.

[4]) Tac. Ann. IV 31, VI 36.

[5]) Suet. Tib. 28.

IV 31. Tacitus miratur Tiberium tristiora malle, gnarum, quae fama elementiam sequeretur. Tacitus igitur a Tiberio postulat, ut omnia maleficia condonet; si Tiberius haec fecisset, grata nimirum memoria viguisset, sed officium pluris fecit, quod non cum Tacito vituperamus.

IV 31. „Tiberius exilium Cati Firmii deprecatur, ejus operae in causa Libonis memor, sed alia praetendens". Ea accusatio Tiberii igitur mera suspicione nititur, quae tamen non veri similis est, quia alii accusatores nulla praemia acceperunt [1]) et unus Vescularius Flaccus occisus est [2]).

IV 34. Cremutius Cordus accusatus esse dicitur, quia Bruto laudato C. Cassium Romanorum ultimum dixisset. Vera causa est, quod Sejanum offenderat, quum postquam illi statua in Pompeji theatro ponenda decreta esset, vere theatrum perire clamasset [3]).

IV 42. „Voces contumeliosae, plerumque *verae* in Tiberium jaciuntur." Tacitus obliviscitur Tiberium adhuc bona aestimatione frui [4]).

IV 52. Sosia afflicta esse dicitur ob amicitiam Agrippinae; attamen Tacito auctore non dubie repetundarum criminibus haerebat [5]), quo nullum scelus a Tiberio severius puniebatur.

IV 57. Accusatur Tiberius saevitiae et libidinum, quod alio loco Tacitus tantum ultimo vitae ejus tempori tribuit [6]).

---

[1]) Tac. Ann. II 86, III 19.

[2]) Tac. Ann. VI 16.

[3]) Sen. Cons. ad Marc. 22. Dio LVII 24. Cf. similis causa Tac. Ann VI 35.

[4]) Tac. Ann. IV 6, VI 57.

[5]) Tac. Ann. IV 18.

[6]) Tac. Ann. VI 57.

Tiberius Rhodi recondere voluptates insuesse dicitur; alio loco Tacitus rumorem tantum fuisse dicit [1]) et alio loco hoc negat [2]). Ex Suetonii hac de re silentio satis apparet hunc rumorem falsum fuisse [3]).

Tiberius dominationem a Livia accepisse dicitur. Idem reperitur duobus aliis locis [4]) sed refutatur a Tacito ipso [5]), quemadmodum ad Vell. II 102 ostendi.

IV 67. In malum otium resolutus fuisse Tiberius dicitur. Mera est calumnia; namque eum res non neglexisse ubique apparet. Miror Tacitum id malum appellare, quum alio loco improbet, quod Tiberius negotiis adesset [6]); quid tandem Tiberius facere oportet, ut suo historico placeat?

IV 68. Sabinus unus cliens Agrippinae appellatur. Hoc loco Tacitus non sibi constat, quum alio loco studia multorum commemoret [7]).

Causa Sabini narratur; summa arte depingit Tacitus crudelitatem Tiberii, insidias, quibus Sabinus circumventus sit et festinationem ejus supplicii. Casu quodam apud Plinium [8]) ex diurnis invenimus: „cum animadverteretur ex causa Neronis Germanici filii in Titum Sabinum et servitia ejus." Inde veri simile fit Sabinum cum Nerone conjurationem in Tiberium iniisse et ob eam rem jure ad supplicium ductum esse.

---

1) Tac. Ann. I 4.

2) Tac. Ann. VI 57.

3) Suet. Tib. 11.

4) Tac. Ann. I 3, I 7.

5) Tac. Ann. III 56.

6) Tac. Ann. I 75.

7) Tac. Ann. IV 12, IV 59.

8) Plin. Nat. Hist. VIII 40 (61).

IV 71. „Nullam aeque Tiberius, ut rebatur ex virtutibus suis, quam dissimulationem diligebat." Eam dissimulationem, quam Vir Cl. Karsten lepide cum caduceo praestigiatoris comparavit, quo omnes Tiberii virtutes detrahuntur, ex Tacito saepe refutare possumus. Illa eum deficit in morte Germanici [1]), ubi ea tam necessaria erat; legimus porro de ejus ira [2]), de clamitatione, de contentione animi [3]), de ira excandescente [4]).

„Livia florentes privignos per occultum subvertit." Quod hic pro certo ponitur, valde dubium est. Cf. ad II 45.

Veteres et praegraves accusatores Tiberius afflixisse dicitur. Quod tamen non a Tacito confirmatur. Legimus Considium Aequum et Caelium Cursorem, qui fictis criminibus praetorem petivissent, condemnatos esse [5]); sed illi non in Tiberii gratiam egerant; Sextus Paconianus et Latinius Latiaris, qui condemnati sunt, Sejani ministri erant [6]); Caecilianus punitus est, qui adversarius principis erat [7]); Vescularius Flaccus ac Julius Marinus, qui perierunt, homines perditi erant [8]); Servilius Corneliusque ob pecuniam acceptam interfecti sunt [9]).

IV 74. Dissimulabat Tiberius damna bellorum, *ne cui bellum permitteret.* Insidiosa est observatio in bello minime gravi.

---

1) Tac. Ann. III 2.
2) » » III 69.
3) „ » IV 31.
4) » » I 74.
5) » » III 37.
6) » » VI 9, 10. Cf. IV 68.
7) » » VI 113.
8) » » VI 16.
9) » » VI 36.

V 2. „Honores Liviae *quasi* per modestiam imminuit. *Quasi* non addendum fuit: semper Tiberius honores moderatus est [1]).

VI 7. „Saxa rursum et solitudinem maris repetiit," dicitur de amoena insula Capreis, quia Tiberius ibi habitat.

De libidinibus Tiberii ad Suet. Tib. 43 agam.

VI 12. „L. Piso fato obiit, rarum in tanta claritudine." In mentem mihi venit loci Juvenalis: „prodigio par est in nobilitate senectus [2])"; Tiberius tamen falso accusatur. Etiam homines illustres, ut Haterius [3]), Lepidus [4]) et Lucilius Longus [5]) fato obierunt, alii voluntariam mortem, ut Nerva [6]) et Arruntius [7]), oppetiverunt.

VI 12. Epistula Tiberii: „Quid scribam vobis, patres conscripti, aut quo modo scribam aut quid omnino non scribam hoc tempore, di me deaeque pejus perdant quam perire me cotidie sentio, si scio." Sunt verba hominis, qui post tot aerumnas omnem spem amisit. Tacitus perspicit in his verbis conscientiam scelerum.

VI 19. „Silentium Tiberii in superbiam accipiebatur." Quid tandem Tiberius facere debet, ut laudetur?

VI 30. Drusus dicere non potuit „quemadmodum nurum Agrippinam occidit", quia Agrippina post Drusi mortem interfecta est [8]).

---

1) Cf. I 14.
2) Juv. Sat. IV 47.
3) Tac. Ann. IV 61.
4) » » VI 33.
5) » » IV 15.
6) » » VI 32.
7) » » VI 54.
8) » „ VI 31.

VI 32. Ridicule traditur Plancinam inimicitiis Agrippinae defensam fuisse: precibus Liviae veniam obtinuit [1]) et casu quodam denuo accusata est post Agrippinae mortem.

VI 51. „Caligula simulationum falsa in sinu avi perdidicerat." Vide ad IV 72.

„VI 52. Eo (scil. simulatione Caligulae). Tiberius dubitavit tradere rem publicam". At Tiberius dicitur existimasse simulationem virtutem esse; mores Caligulae dubitationem attulerunt [2]).

Hi loci inveniuntur apud scriptorem, qui sine studio et ira se scripturum pollicetur. Sed aliud est promittere, aliud est promissum praestare. Num quis dubitare potest his locis perspectis? Si Tiberius Taciti inimicus fuisset, qui eum pessime vexavisset, non injustiorem et acerbiorem descriptionem dare potuisset. Sunt quidam loci, ubi fere ira excandescimus, si legimus industriam Tiberii [3]), recusationem venerationis [4]), consilium imperiorum continuandorum vituperari [5]), et avo crimini dari, quod duorum nepotum partu gaudeat [6]). Tacitus quidem tradit bonas artes Tiberii, sed haud libenter id facit; etiam in iis, quae Tiberius rite facit, plerumque eum vituperat; libro primo, secundo et tertio, quo tempus describitur, ubi Tiberius laude dignus est, maxime occurrunt illae insidiosae observationes, quibus omnia in deterius trahit. Pulchram morum Tiberii descriptionem ex Tacito petere possumus, ita ut

---

[1]) Tac. Ann. III 15.
[2]) » » IV 71.
[3]) » » I 75.
[4]) » » IV 38.
[5]) » » I 80.
[6]) » » II 84.

quae verba Tacitus de Tiberio adhibuit [1]), nos in Tacitum ipsum convertamus: „miror Tacitum tristiora malle, quum meliora sciret" sed malas artes Tiberii arripit, bonas obtrectat. Quod maxime aetate, qua viveret, factum esse ostendi. At enim, si omnes locos enumeramus, paucos invenimus, ubi ea, quae non constat facta esse pro factis dat. Sed magni refert, quo modo quaeque narrentur, immo omnia inde pendent. Etenim ubi duo homines dicunt idem, saepe non est idem. Hoc in primis valet de judiciis, quae Tacitus tradit et de omnibus, quae erga Germanicum et Agrippinam Tiberius fecisse dicitur. Utinam de his rebus nobis liceret alteram quoque partem audire. Tot judicia reperiuntur, ubi ne crimina quidem narrantur; quae Agrippina contra Tiberium fecit, Tacitus reticet, in quibus nobis: „non liquet" dicendum est. Ne omnia credamus, obstant illi loci, ubi eum a veritate deflexisse videmus; obstat ratio, qua rumoribus usus sit. Compluribus igitur aliis quoque locis nobis dubitare concessum est, quos huc non attuli; sed ex illis, quae certa sunt, de reliquis conjecturam facere possumus.

---

1) Tac. Ann. IV 31.

CAPUT QUARTUM.

Vita et indoles Suetonii cognoscuntur et ex ipsius opere et ex Plinii epistolis. Natus est fere anno 77 p. C. n., quod ex duobus locis colligitur, quum se adulescente pseudo–Neronem extitisse dicat [1]), quod anno 88 factum est; deinde sub principatu Domitiani adulescentulum se fuisse commemorat [2]). Juventutem sub Domitiano transegit; a Trajano, Plinio suo amico deprecatore usus, jus trium liberorum accepit [3]); Hadriano magister epistolarum fuit, in cujus odium incidit [4]); senex mortuus est [5]).

Quo anno Vitas edidit? Scribit se puerilem imagunculam principi dono dedisse, quae inter cubiculi Lares coleretur [6]). Nomen principis omittitur, sed admodum veri simile est his verbis Hadrianum significari, quippe qui antiquarius esset et grato animo hoc donum acceperit, quod minime in Trajanum,

1) Suet. Ner. 57.
2) Suet. Dom. 12.
3) Plin. ad Traj. 94 et responsum 95.
4) Spart. Hadr. XI 1.
5) Fronto ad Aur. I 10.
6) Suet. Aug. 7.

hominem militarem, cadit. Praeterea monumenta publica quibus eum usum esse ex opere apparet, facilius consulere potuit sub Hadriano quam sub Trajano, quum ab illo epistolarum magister appellatus, in tabulario omnia ei ad investigandum praesto essent. Scripsit igitur sub Hadriano et scripsit post Tacitum.

Ejus indolem ex Plinii epistolis maxime cognoscimus. Somnio exterritus Suetonius rogat, ut actio referatur [1]), ob quam rem Plinius jocose eum corripit. Nos non miramur eum ea indole in vita privata fuisse, qui tot prodigia in opus inseruerit. Dubitat Suetonius scripta sua edere, parum igitur sibi confidit [2]). Scripsit Plinius quandam epistolam [3]), ex qua plena imago Suetonii nobis affulget. Ignarus est vitae communis, est scholasticus, ut eum Plinius appellat, est doctor umbraticus, *κατοικίδιος* ut Graeci dicunt [4]). Industria ejus re vera digna est, quam admiremur, quum facilius sit dicere, de quo non scripserit quam ea commemorare, de quibus egerit [5]). Totam vitam impendit libris legendis, conferendis, excerpendis, sed deficit eum ingenii humani scientia. Nullo judicio, sed sedulo et diligenter omnia, quae reperiebantur apud scriptores, describebat, neque curabat auctorum suorum dissimilitudinem et discrepantiam; ita quae repperit de homine Caligula in priore parte, quae de monstro Caligula invenit, in posteriore Vitae parte ponit [5]). Sunt magis

---

1) Plin. Ep. I 18.

2) Plin. Ep. V 10.

3) Plin. Ep. I 24.

4) Luc. Quo modo historia scribenda sit. 37.

5) Suidas II p. 1190.

commentarii ad justum opus historicum conficiendum quam historia. Memini me quaedam apud Lucianum legere, quae plane in eum cadunt: ἄλλῳ δέ τινι χαρίεντι καὶ δυνησομένῳ ἱστορίαν μεταχειρίσασθαι προπεπονηκώς [2]),· quod Atejus Capito in gratiam Sallustii et Pollionis fecit [3]).

Vopiscus [4]) eum valde laudat et si voluntatem respicimus, haud injuria: non credo quidquam apud Suetonium extare, quod non invenerit apud auctores suos. Nemo illi exprobabit, quod cum ira et studio scripserit. Tamquam nomen ei pro omine sit, semper tranquillus manet quum in iis, quae laude digna, tum in iis, quae vituperanda sunt.

De eo, quod sibi proposuit, ipse saepe loquitur, veluti: »proposita vitae ejus velut summa, partes singillatim neque per tempora sed per species exsequar, quo distinctius demonstrari cognoscique possint [5])."

Quorum verborum si rationem habuerimus, facile ei ignoscemus, quod tempora non observet, bella fere omittat et praeter principem omnia negligat, quemadmodum in vita Tiberii de Sejano fere nihil tradit.

Pervenio ad difficillimam quaestionem, qui Suetonii auctores fuerint. O. Clason [6]) M. Servilium Nonianum praecipuum autorem ejus in vita Tiberii fuisse abitratur,

---

1) Suet. Cal. 22.
2) Luc. Quo modo historia scribenda sit. 16.
3) Suet. de Gramm. 10.
4) Vopisc. Vita Probi. II 7.
Vopisc. Vita Firmi. I 1.
5) Suet. Aug. 9, Adde Aug. 61, Tib. 42, 61, Cal. 22, Nero 19.
6) O. Clason. Tacitus und Sueton. 1870, pag. 56.

sed tam pauca hac in re certa sunt, ut mihi hanc rem in medio relinquere satius videatur. Hic etiam campus latus ingeniosis conjecturis patet sed bonum grammaticum oportet aliqua nescire.

Quibus fontibus Suetonius uti potuerit, capite primo ostendi. Veri simile est eum ex compluribus fontes hausisse et praeter monumenta publica et historicos etiam libellos famosos adhibuisse multosque rumores odiosos inde petivisse. Sed nihil hac de re constat, nisi quod magnam diligentiam in auctoribus colligendis adhibuit et multi ei praesto fuerunt. Gravis est quaestio, utrum Suetonius Tacitum adhibuerit necne, quod maxime ad hanc inquisitionem pertinere arbitror. Si autem libris utriusque non inspectis rogamus, num veri simile sit Suetonium Tacito usum esse, hoc negandum mihi esse videtur. Suetonio enim, qui optimam occasionem haberet ex fontibus sedulo investigatis hauriendi, non erat, cur Tacito uteretur, qui non tam se commendaret multis inquisitionibus quam praeclaro stilo. Si Suetonius saepius cum Tacito congruit, persuasum mihi est hoc eo factum esse, quod ex iisdem fontibus haurirent. Forsitan quoque Tacitus usus sit quibusdam excerptis et commentariis amici sui Suetonii. Sed in vita Tiberii pauci loci extant, qui plane congruunt. Rerum natura fert eos in rebus iisdem narrandis saepe iisdem verbis usos esse, sed in his rebus dijudicandis cognitio intima linguae nobis auxilio venire debet: si invenimus similitudinem verborum, quibus quivis utitur, nihil ad nos, sed si reperimus exquisitum et peculiare quoddam genus dicendi, profecto de similitudine nonnihil statuere licet. Tractabo eos locos qui ad hanc rem pertinent.

Suet. Tib. 21. „Spirantem adhuc Augustum", idem legitur apud Tac. Ann. I 5. Nisi fallor, non sunt verba, quibus omnes utuntur: spirare pro vivere dicitur. Tamen animadvertendum est Suetonium pro certo ponere id, de quo Tacitus dubitat; ex hoc loco igitur nihil efficitur.

Suet. Tib. 22 „Renuntianti tribuno factum esse, quod imperasset, neque imperasse se et redditurum eum senatui rationem respondit"; Tac. Ann. I 6. „Nuntianti centurioni, ut mos militiae, factum esse quod imperasset, neque imperasse sese et rationem facti reddendum apud senatum respondit." Hoc loco Suetonius plane cum Tacito congruit.

Suet. Tib. 55. „Agrippae servus nomine Clemens." Quae verba occurrunt etiam Tac. Ann. II 39; etsi stultum est hinc aliquid efficere, tamen hunc locum afferri animadverti.

Suet. Tib. 42. „Vitia male diu dissimulata". Adde „moderationis simulatione" et c. 72. „dissimulationi". Haec desumpta videntur vel ex Tacito vel ex eodem fonte, quo Tacitus usus est, qui semper illud vitium Tiberio objiciat, (de quo egi ad Ann. IV 71), quod a ceteris scriptoribus non commemoratur.

Suet. Tib. 50. „Julia oppido clausa", quae verba leguntur apud Tacitum Ann. I 53. Sed nihil eo probatur, immo potius ex hoc capite efficere possumus Suetonium Tacito non usum esse, quia nomen oppidi ab hoc commemoratum est, quod ille reticet.

Suet. Tib. 52. „Non ullum insignem honorem recipere publice passus est". Tac. Ann. I 14. „Ne lictorem quidem ei decerni passus est". Hi quidem loci afferuntur sed parum similes sunt.

Suet. Tib. 53. „Imputavit etiam, quod non laqueo strangulatam in Gemonias abjecerat" et Tac. Ann. VI 31. „Jactavitque, quod non laqueo strangulata, neque in Gemonias projecta fuerit". Sed quis non ita loquitur?

Suet. Tib. 58. „Consulente praetore an judicia majestatis cogi juberet, exercendas leges esse respondit". Tac. Ann. I 72: „consultante Pompejo Macro praetore, an judicia majestatis redderentur, exercendas leges esse respondit". Quia nomen omisit Suetonius, similitudo fortuita esse videtur.

Suet. Tib. 61. „Objectum est historico, quod Brutum Cassiumque ultimos Romanorum dixisset". Tac. Ann. IV 34. „Cremutius Cordus postulatur, quod editis annalibus laudatoque M. Bruto C. Cassium Romanorum ultimum dixisset". Quia Suetonius nomen Cremutii Cordi, quem auctorem alio loco [1]) laudat, praetermittit, veri simile est eum hoc loco Tacitum non inspexisse.

Suet. Tib. 67. Notissima epistula Tiberii ad senatum, paene iisdem verbis apud Tac. Ann. VI 12; si jam plane similes essent, hoc tali in re nullius esset momenti.

Suetonius ergo mihi videtur non modo Tacitum adhibuisse sed ne iisdem quidem fontibus usus esse, quibus Tacitus usus est. Quo tamen non efficitur Tiberium ad veritatem descriptum esse; namque primo capite condicionem fontium, quibus et Tacitus et Suetonius uti potuerint, non veritati inveniendae idoneam fuisse ostendi.

Apud Suetonium complura reperiuntur, quae etsi refutari non possunt, tamen quia ex rumoribus vel ex libellis

---

[1]) Suet. Aug. 35.

famosis proveniunt, non contra Tiberium adhibenda sunt. Hoc valet de omnibus acute et jocose dictis, quae traduntur, de iis, quae de hominibus ignotis narrantur et de compluribus exemplis libidinis et crudelitatis. Enumerabo exempla.

Cap. 14. Plura prodigia, quibus Tiberio regnum ostendebatur, commemorantur. Videntur esse rumores vel e rerum eventu orti vel consulto ficti, ut majestatem Tiberii confirmarent, quemadmodum mortuo Augusto vir praetorius juravit se effigiem cremati euntem in coelum vidisse [1]).

„Destinarat Thrasyllum in mare praecipitare". Sine dubio rumor est, quia, si id Tiberio in animo fuisset, tacuisset.

Cap. 21. Vox Augusti per cubicularios excepta est: „Miserum populum R., qui sub tam lentis maxillis erit". Testes egregios!

Augustus, ambitione ductus, Tiberium elegit, de quo supra vide ad Tac. Ann. I 10.

Cap 42. Tiberius Claudius Nero per jocum Biberius Caldius Mero appellabatur, ad quem jocum nomen multum contribuisse videtur.

„L. Pisoni praefecturam detulit, quia Piso vinosus fuit", quod idem Plinius tradit, qui tamen addit: „credidere". [2]) Facile est videre rumorem inde natum esse, quod Tiberius et Piso nimis vino indulgebant. Ob causam eandem Pomponium Flaccum provinciae praeposuisse dicitur; hic etiam merus rumor est, qui refutatur cura, quam Tiberius provinciarum habuit.

---

[1]) Suet. Aug. 106.

[2]) Plin. Nat. Hist. XIV 22 (28). Cf. Sen. Ep. 83. 14, 15.

„Ignotissimum quaesturae candidatum ob epotam in convivio amphoram nobilissimis anteposuit". Quum more suo hominem novum elegisset, calumnia talem causam finxit.

„Asellio Sabino sestertia ducenta donavit pro dialogo". Hic etiam rumor est non admodum veri similis, quia Tiberius parcus erat [1]).

Cap. 43, 44. Complures rumores in iis, quae de libidinibus narrantur, occurrunt.

Cap. 57. Theodorus Tiberium aliquando appellavit: „πηλὸν αἵματι πεφυραμένον." Quam vagum et incertum est tale dictum!

„Scurram, qui praetereunte funere clare mortuo mandar. t, ut nuntiaret Augusto, *nondum reddi legata, quae plebei reliquisset*, attractum ad se recipere debitum ducique ad supplicium imperavit, et patri suo verum referre." Quod tamen dubium est, quia legimus Tiberium initio cavisse, ne quid in novitate acerbius fieret [2]).

Cap. 59. Versus quidam ostendunt, qualia saepe in libellis famosis occurrerent, sed nihil contra Tiberium valent.

Cap. 62. Rumores de crudelitate Capreis facta veri simile est ortos esse ex inquisitione Livillae, de qua Suetonius hoc capite agit.

Tiberius credebatur vix Gaio et Tiberio nepoti parsurus esse. Nihil hanc suspicionem confirmat.

Cap. 75. Exclamatio: „Tiberium in Tiberim", cui nomen etiam multum contribuisse videtur, non est adhibenda

---

[1]) Suet. Tib. 46, Cal. 17.

[2]) Suet. Tib. 25.

contra Tiberium, quia levi fundamento talis rumor nititur. Inde apparet Suetonium nimium tribuisse sermonibus, quos tradidit nullo judicio adhibito.

Pergam ad eos locos, ubi constat falsa relata esse.

Cap. 10. De causis, cur Tiberius Rhodum secederet, egi ad Vell. II 99

Cap. 15. De Tiberii adoptatione ad Vell. II 103.

Cap. 20. De causis Tiberii adoptationis ad Vell. II 103. Quod Suetonius dicit Augustum adeo diritatem morum Tiberii improbasse, ut nonnumquam remissiores sermones eo superveniente abrumperet, nihil contra Tiberium facit; ostendit tantum mores Augusti et Tiberii dissimiles fuisse et Augustum cavisse, ne severum juvenem offenderet.

Cap. 22. De morte Agrippae Postumi ad Vell. II 112.

Cap. 23. „Quoniam atrox fortuna Gajum et Lucium filios mihi eripuit, Tiberius Caesar heres esto". Ex his verbis testamenti Augusti non colligere possumus, id quod Suetonius fecit, Tiberium Augusto invisum fuisse; tantum demonstrant, quod naturae consentaneum est, Augustum magis nepotes quam Tiberium dilexisse.

Cap. 24. De causis, cur Tiberius imperium recusaret ad Vell. II 124.

„Germaniciani quidem etiam principem detractabant non a se datum". Hic est locus, ubi Suetonium post annum 69, ubi milites principes dederunt, scripsisse patet, quia, quod in suam aetatem incidit, in hoc tempus transtulit.

Metus, quem Germanicus Tiberio incussit, non potest verus esse, quia mores Germanici Tiberio non ignoti erant.

Non veri simile videtur L. Scribonium Libonem jam

initio principatus res novas molitum esse et Tiberium, ubi consilia Libonis cognovit, per unum annum nihil contra eum fecisse; quod confirmatur a Vellejo, qui Tiberii celeritatem laudat [1]) et silentio Taciti [2]). Verum est Tiberium, qui Libonis mores cognitos habuit, aliquid suspicatum esse, quas suspiciones Libo postea confirmavit.

Cap. 26. Suetonius narrat Tiberium obstitisse, ne mensis September Tiberius vocaretur; veri similius est, quod Dio narrat [3]), ne mensis November Tiberius vocaretur, quia Tiberius Novembri natus erat [4]).

Cap. 37. Maroboduus extractus provincia esse dicitur. Tacitus, qui in talibus rebus maiore fide dignus est, dicit eum sponte se obtulisse [5]).

Cap. 41. Tiberius curam rei publicae abjecisse Capreis morans dicitur. Singula inspiciamus. „Provinciarum praesides non mutavit", sed haec est eximia Tiberii laus, quo factum est, ut provinciae majore, quam antea prosperitate fruerentur. Cf. ad Tac. Ann. I 80. „Syria sine legato fuit". Causa erat, quod consulares noluerunt hanc provinciam capessere, quo nullum disertius testimonium est curae provinciarum, quam Tiberius habuit. Sub Tiberio rapinae et furta fieri non poterant, praeteriit illud tempus, quo quis pauper divitem Syriam ingressus dives pauperem reliquit [7]). „Hispaniam per aliquot annos sine legato

1) Vell. II 129.

2) Tac. Ann. II 27—33.

3) Dio LVIII 18.

4) Suet. Tib. 5. Kalend. Antiatium. Orell. 6445. 686. 5359.

5) Tac. Ann. II 63.

6) Tac. Ann. VI 33.

7) Egregia verba Velleji de P. Quinctilio Varo. II 117.

habuit". Arruntius ei provinciae destinatus erat sed qualicunque de causa retentus est. „Armeniam, Moesiam et Gallias neglexit". Apud Tacitum tamen legimus de rebus in Armenia gestis cura Tiberii [2]) et de rebus gestis Poppaei Sabini in Moesia [3]); de Gallia nihil reperimus post rebellionem Sacroviri [4]).

Cap. 45. De libidinibus Tiberii, quae hic narrantur, plenius mihi agendum est. Cicero dicit: „Perinde ut opinio est de cujusque moribus, ita quid ab eo factum aut non factum sit, existimari potest" [6]). Mores Tiberii, quales eos primo capite descripsi, ut a saevitia non alieni fuerunt, ita ab insanis illis libidinibus profecto abhorruerunt.

Praeterea juventus ejus sine macula fuit; nullum de ea malum rumorem vulgus dispersit, nihil Suetonius, qui talia appetit, memoriae prodidit, nemo ei quidquam objecit; a Philone Judaeo cognomen ejus: ὁ πρεσβύτης traditur; tantum duo loci apud Tacitum inveniuntur, ubi odio exitiabili erga Tiberium ductus, eum etiam Rhodi libidinibus indulsisse dicit [7]); qui tamen non sibi constat, quum alio loco eum nominet egregium vita famaque, quoad privatus vel in imperiis sub Augusto fuit [8]). Agrippinam, uxorem suam,

---

[1]) Tac. Ann. VI 33.
[2]) » » VI 33.
[3]) „ » VI 37, 45.
[4]) » » VI 46.
[5]) » » III 47.
[6]) Cic. pro Cluent. XXV 70.
[7]) Tac. Ann. I 4, IV 57.
[8]) Tac. Ann. VI 57.

summo amore dilexit, quum Juliam, quam uxorem ducere coactus sit, oderit [1]). In principatu videmus eum nullis voluptatibus avocari [2]), complura fecisse ad impudicitiam comprimendam et libidines nepoti exprobrasse [3]).

Num veri simile est talem virum, LXXIII annos natum foedissimis libidinibus indulsisse, quum praesertim sciamus Tiberium semper valetudine prospera usum esse, quod in tantis libidinibus paene fieri non potuit [4]); Antoniam porro, mulierem gravissimam, olim uxorem Drusi, apud eum fuisse [5]) et Nervam [6]), quem vel Tacitus laudat [7]). Tantum unum nomen meretricis memoriae proditum est [8]). Quam facile autem rumores nasci possent, primo capite ostendi. Ubi Tiberius secessit, qui ipsi libidinibus indulgent, verae causae ignari, ut fieri solet, eum ideo secessisse arbitrantur, ut libidinibus indulgeat. Haec ei objiciebantur sermonibus, libellis famosis et dicteriis, quae ipse in acta diurna inserere solebat [9]). Tamen non negligendum est praeter scriptores serioris aetatis, nullius momenti, solos Tacitum et Suetonium illas libidines tetigisse, quorum alterius fides odio, alterius credulitate confringatur. Seneca, quum saepe occasionem commemorandi habeat, tacet; etiam Plinius, apud quem contra invenimus Tiberium saevum et

---

1) Suet. Tib. 7.
2) Tac. Ann. III 37.
3) Tac. Ann. V 3.
4) Suet. Tib. 68.
5) Flav. Jos. XVIII 6, 6.
6) Tac. Ann. IV 58.
7) Tac. Ann. VI 32.
8) Suet. Tib. 43.
9) Dio LVII 23. Cf. LVIII 25.

severum in senectute fuisse [1]); Flavius Josephus loquitur de secessu, tacet de libidinibus. De gemmis, quae Capreis repertae sunt, postea agam.

Ex his patet aut libidines illas fictas aut saltem in majus auctas esse.

Cap. 46. Tiberium pecuniae parcum ac tenacem fuisse, vel eo confirmatur, quod magnas opes reliquit [2]) sed tamen per honesta erogandae pecuniae cupidus fuit [3]).

Cap. 47. „Nulla opera fecit". Suetonius in contrariam partem peccat atque Vellejus [4]), qui dicit: „Quanta opera fecit!" Suscepit Tiberius et perfecit Augusti templum et Pompeji theatrum [5]), quae tamen non dedicavisse videtur et ob contemptum gloriae et propter sumptus immodicos, quos dedicatio cum ludis conjuncta afferret.

„Ludis raro interfuit". De ea re egi ad Tac. I 76.

Inopiam senatorum non sustentavisse dicitur, quod Tacitus refutat exemplo Propertii Celeris [6]) et liberorum Hortali [7]) et verbis: „saepe honestam innocentium paupertatem levavit" [8]). Injuria vituperatur, quod eos causas senatui probare jusserit, ut jam dixi ad Tac. I 75 et Hortalum non pudore et modestia deterritum esse, ne pecuniam rogaret, ex Tacito patet [9]).

---

1) Plin. Nat. Hist. XXVIII 2 (5), XIV 22 (38).
2) Suet. Cal. 37, Ner. 30.
3) Tac. Ann. I 75, II 48, II 86, III 18.
4) Vell. II 130.
5) Tac. Ann. VI 51.
6) » » I 75.
7) » » II 38.
8) » » II 48.
9) » » II 38.

Cap. 48. „Bis omnino munificentiam exhibuit". Tiberius tamen urbes Asiae[1]) restituit, annonam suo sumptu sublevavit[2]), pecuniam tribuit deusto monte Caelio[3]), inopiam rei nummariae sustulit[4]) et post incendium pretia domuum solvit[5]). Suetonius, ne munificentia ejus laudetur in iis, quae narrat de re nummaria, addit: „coactus est hoc facere".

Auctore Suetonio Tiberius montem Caelium Augustum nominari jussit. Cras credam; nam si quis alius, Tiberius honorem et adulationem sprevit[6]). Meliora hac de re Tacitus nos docet, qui id adulatione senatus factum esse tradit[7]).

„Militibus nihil largitus est", ita, sed non est, quod hac in re Tiberium reprehendas, quum illa largitio gravissima pestis rei publicae facta sit.

„Provincias liberalitate non sublevavit". Attamen provinciae prosperae erant et Tiberium laudabant; praeterea exempla liberalitatis extant: pluribus civitatibus tributum remisit[8]); urbibus Asiae subvenit[9]).

Cap. 49. „Ad rapinas animum convertit". Tacitus dicit Tiberium satis firmum fuisse adversus pecuniam[10]), alibi dicit eum diligentem, non avarum fuisse[11]); avaritiae

---

1) Tac. Ann. II 47.
2) » » II 87.
3) » » IV 62.
4) » » VI 22.
5) » » VI 51.
6) » » I 72, II 87, III 47, IV 6, 37, 38, 70, 74, VI 52.
7) » » IV 64.
8) » » IV 13.
9) » » II 46.
10) » » III 18.
11) » » IV 16.

unum tantum exemplum apud Tacitum est in quendam Sex. Marium [1]). Inspiciamus exempla Suetonii. Lentulus metu et angore ad fastidium vitae a Tiberio actus esse dicitur, ut ejus hereditatem adiret. Quod admodum dubium est, quia Tiberius hereditates non adibat [2]) et quia Tacitus, quum de Lentuli morte agit, hoc omittit [3]), qui tamen alias occasionem Tiberii accusandi nusquam negligit.

Lepida in gratiam Quirini condemnata esse dicitur, quum alia causa, quod Lepida veneno Quirinum petivisset, apud Tacitum inveniatur [4]).

De principibus Galliarum, Hispaniarum, Syriae et Graeciae, quos Suetonius confiscatos esse dicit, nihil apud Tacitum invenimus, nisi quod unus Sex. Marius ob pecuniam interfectus esse dicitur.

„Plurimis civitatibus et privatis immunitates et jus metallorum adempta". Hoc ipsum egregium fuit, sed iis, qui damnum accipiebant, minime placuit.

Vonones ob pecuniam interfectus esse dicitur. Re vera Remmius conscientia sceleris actus et metu indicii mortem Vononi intulit [5]).

Cap. 50. Odium adversus Drusum fratrem injuria objicitur. Valerius Maximus [6]) et Seneca [7]) contrarium docent et quod

---

[1]) Tac. Ann. VI 25.
[2]) „ „ III 18.
[3]) „ „ IV 44.
[4]) „ „ III 23.
[5]) „ „ II 68.
[6]) Val. Max. V 5. 3.
[7]) Sen. Cons. ad Polyb. XV 5.

plus valet, Antonia Drusi vidua, Tiberium dilexit et cum eo Capreis fuit [1]).

Quod Juliam non amavit, quam invitissimo animo uxorem ducere coactus est, non est quod Tiberio crimini des. Tamen invenimus eum saepe Augustum oravisse, ut Juliae condonaret [2]) et quod in principatu Juliae nihil concedit, probe tenendum est, eum ex praecepto Augusti hoc fecisse et Juliam brevi post mortuam esse. Cf. Tac. Ann. I 53.

Liviam aequas partes potentiae sibi vindicantem, de cujus potentia etiam Vellejus mentionem facit [3]), Tiberius gravatus sane est sed ita, ut numquam oblivisceretur eam matrem suam esse, quum Tacitus dicat eum semper matri honorem habuisse. [4])

„Ejus testamentum pro irrito fuit". Tacitus tantum dicit: „diu irritum fuit." [5])

Familiaritates ejus afflixisse Tiberius dicitur, quod et silentio Taciti et eo quod Tiberius Liviae superstitis familiaritates adjuvit, refutatur [6]).

Cap. 52. „Tiberius Drusum non amavit". Quamquam concedo Drusi vitia Tiberio invisa fuisse, Tiberium eum odisse nego, auctores secutus Tacitum [7]) Senecam [8]) et Flavium Josephum [9]). Hic tradit Agrippam, amicum Drusi, in con-

---

1) Flav. Jos. 18. 6. 6.
2) Suet. Tib. 11.
3) Vell. II 130.
4) Tac. Ann. I 64, III 64, V 3, VI 57.
5) „ » V 2.
6) » » I 13, II 34, III 17, V 2.
7) „ „ IV 8. 15. Cf. Dio LVII 22.
8) Sen. Cons. ad Marc. XV 3.
9) Flav. Jos. 18. 6. 2.

spectum Tiberii venire non potuisse, quia ne dolore commoveretur, Tiberius vetuisset, ne filii amici in conspectum ejus venirent. Documenta, quae Suetonius dat, nullius pretii ac momenti sunt. Post Drusi mortem statim ad negotia redit, sed ea indoles Tiberio fuit [1], ut negotia pro solaciis acciperet [2]. Alterum est, quod legatis serius consolantibus dixit, se quoque vicem eorum dolere, quod egregium civem Hectorem amisissent. Addit Suetonius: „quasi obliterata jam doloris memoria". Sed ego longe secus judico eumque aegre tulisse existimo, quod in tanto dolore tam sero venirent.

Singula verba de Germanico injusta sunt. Tiberium Germanico obtrectavisse ridiculum est, quamquam Tacitus idem tradit.[3] „Praeclara facta ejus pro supervacuis elevavit", sed erant sane supervacanea, ut nunc inter omnes constat, quod in primis Tiberio ingratum erat. „Gloriosissimas victorias ceu damnosas rei p. increpuit". Sed re vera erant damnosae rei p. et alia ratione Tiberius ducebatur, ut Vellejus demonstrat[4]. „Germanicus propter immensam famem Alexandream adiit". Tacitus, admirato ille Germanici dicit: „cognoscendae antiquitatis", quod in imperatore minime probamus, et addit: „levavit pretia frugum[5])."

Praeterea hoc capite legitur, Tiberium per Pisonem causam fuisse mortis Germanici. Complura argumenta hanc rem refutant, indoles Pisonis, qui obsequii ignarus fuit [6]), quem non veri

---

1) Dio LVII 14 LVII 22. Sen. Cons. ad Pol. XV 5, Cons. ad Marc. XV 2.

2) Tac. Ann. IV 13.

3) Tac. Ann. I 52.

4) Vell. II 97.

5) Tac. Ann. II 97.

6) Tac. Ann. II 43. Cf. Sen. de ira. 18.

simile est tale facinus perpetrasse, Tiberii ingenium et narratio Taciti ipsa, qui nullum aliud argumentum veneficii affert, nisi quod ossa et carmina, quibus animas numinibus infernis sacrari crederetur, inventa sunt, de quibus rebus Vir. Cl. Karsten in sua disputatione locupletissime egit. Hoc tantum addam. In iis, quae de Germanico narrantur, Tacito et Suetonio oppono Germanicum ipsum, qui Tiberium innocentem fuisse dixit [1]), matrem Germanici, quae cum Tiberio Capreis erat [2]), Claudium fratrem Germanici, qui Tiberium semper in suo principatu laudabat et ejus orationes recitari jubebat [3]), Sejum Tuberonem, qui amicus Germanici, amicus quoque Tiberii erat [4]), et Senecam denique, qui laudat patientiam ejus in morte Germanici, quod stultum fuisset, si constaret Tiberio Germanicum odio fuisse [5]). Praeterea tenendum est, Germanicum filium esse Drusi, quem summopere Tiberius dilexit.

Cap. 53. Tiberius vituperatur ob ea, quae in Agrippinam fecit. Ad mores Agrippinae cognoscendos, aptum est judicium, quod Germanicus ipse de ea tulit, qui eam monuit, ut ferociam exueret et saevienti fortunae animum submitteret [6]), quibus cum Taciti judicium congruit, qui eam appellat aequi impatientem et dominandi avidam [7]). Quamquam, ut jam monui, de his rebus nos judicare non possumus, quia nescimus, quae

---

1) Tac. Ann. II 71.
2) Flav. Jos. 18, 6, 6.
3) Suet. Claud. 11. Dio LX 10.
4) Tac. Ann. II 20, IV 29.
5) Sen. Cons. ad Marc. XV 1, Cons. ad Pol. XV 5.
6) Tac. Ann. II 72.
7) Tac. Ann. I 10, IV 12, 52, V 3, VI 31.

Agrippina fecerit, ex talibus moribus jure tamen conjicere licet, Agrippinam complura contra Tiberium commisisse. Etiamsi Tiberius non culpa vacat, tamen magnam hujus partem Sejanus habet. Veritatem difficile est hac in re invenire; quae Tacitus et Suetonius narrant, nescio an provenerint ex commentariis Agrippinae Minoris et ex iis, quae sub Caligula, Agrippinae filio, scripta sunt, ut supra demonstravi.

Cap. 54. In reprehensione nimiorum honorum Neronis et Drusi Tiberius Augustum imitatus est neque est vituperandus [1]).

„Varia fraude Nero et Drusus inducebantur”, nec tamen a Tiberio, sed a Sejano [2]). De his quoque pauca constant, sed Tacitus dicit Drusi ingenium atrox fuisse [3]), praeterea legimus Neronem conjurationem iniisse [4]). Suetonius more suo exaggerat quae Tacitus tradit. Originem rumorum de Druso ex Tacito hanc fuisse novimus, quod Tiberius maledicta Drusi recitari jussisset [5]).

Cap. 55. Ex numero viginti amicorum duos vel tres incolumes praestitit; sed hoc cuivis accidit, qui longa aetate fruitur. De singulis amicis videamus. Cn. Lentulus obiit, ubi ad senectutem pervenit [6]); Poppaeus Sabinus vita concessit sine calamitate [7]); Coccejus Nerva sibi mortem conscivit [8]).

---

[1]) Cf. quae dixi ad Tac. Ann. IV 17.

[2]) Tac. Ann. IV 60.

) Tac. Ann. IV 60.

[4]) Plin. Nat. Hist. VIII 40 (61).

[5]) Tac. Ann. VI 30.

[6]) » » IV 29, 44. VI 45.

[7]) » » IV 58.

[8]) » » VI 32.

De morte M. Lepidi [1]) et Seji Tuberonis [2]), Tiberii amicorum, nihil invenitur. Si L. Piso in Tiberii amicorum numerum referendus est, etiam hunc fato obiisse legimus [3]). Superest igitur Sejanus; neque est, cur Tiberio crimini demus, quod hujus insidiis perspectis eum perdiderit. Addam Vescularium Flaccum ac Julium Marinum, qui ad supplicium ducti sunt [4]), fortasse, quia amici quoque Sejani erant. Complures alii forsitan hac re damnati sint, ut ex verbis: „Sejanum cum plurimorum clade perculit" apparet; sed in hac re Tiberius aliquo modo excusandus est. Suetonius dicit Tiberium Sejanum provexisse, ut esset cujus ministerio ac fraudibus liberos Germanici circumveniret. Est haec mera aerugo; quum Sejanus liberis Germanici insidiaretur, jam vulgo notus erat.

Cap. 57. Tiberii dictum legitur, unde apparet eum Pompejum odisse. Quod tamen veri simile non est, quia Pompeji theatrum struxit [5]) et quendam Pompejum, cujus pater Pompeji gratia floruit, amicum habuit [6]).

Cap. 58. „Leges majestatis atrocissime exercuit". Tamen Tacito auctore complures majestatis rei absoluti sunt [7]).

Reus, qui statuae Augusti caput dempserat, condemnatus

---

1) Tac. Ann. IV 20.
2) » » II 20, IV 29.
3) „ » VI 16. Suet. Tib. 42.
4) » „ VI 16.
5) „ » III 73, VI 51.
6) Strabo p. 618.
7) Tac. Ann. I 73, I 74.

esse dicitur, quod non verum esse ex Tacito apparet [1]; nam probabile est utrumque scriptorem eundem respicere.

Cap. 61. Iterum invenitur, eum familiares matris persecutum, de quo jam egi Cap. 50.

Notos et familiares nurus persecutus esse dicitur. Respexit Suetonius fortasse Silium et Sosiam, non dubie criminibus repetundarum haerentes, ut Tacitus dicit [2].

„Post Sejani interitum Tiberius vel saevissimus extitit", unde Suetonius colligit, Tiberium non a Sejano concitari solitum esse. Qua in re ei non assentior, sed postquam Tiberius Sejani insidias cognovit, omnia timebat, omnia oderat et timore odioque ductus multos interfecit; haec vera causa videtur, cur post Sejani interitum Tiberius vel saevissimus esset.

„Nullus a poena hominum cessavit dies." Est mera calumnia, quam ne Tacitus quidem tradit.

„Animadversum est in quosdam ineunte novo anno." Semel factum est, in causa periculosissima Sabini [3].

„Interdictum est, ne capite damnatos propinqui lugerent." Semel mater condemnata esse dicitur, quia filium deflevisset [4].

„Decreta accusatoribus praemia." Miror Suetonium hoc vituperare, quia Romae semper praemia accusatoribus dabantur.

„Nemini delatorum fides abrogata." Tacitus dicit complures reos absolutos esse et delatores punitos [5].

---

1) Tac. Ann. I 73.
2) Tac. Ann. IV 18.
3) Tac. Ann. IV 70. Plin. Nat. Hist. VIII 40 (61).
4) „ „ VI 16.
5) „ „ III 37, VI 14, VI 36

„Omne crimen pro capitali receptum, etiam simplicium verborum." Exemplo Taciti ex extremo tempore desumpto haec refutantur, ubi Tiberius postulat, ne verba prave detorta neu convivalium fabularum simplicitas in crimen ducatur [1]. Reliquo quoque tempore licebat libere loqui [2].

„Objectum est poetae, quod in tragoedia Agamemnonem probris lacessisset." Valde ridiculum est, nam quid Tiberio cum Agamemnone? Emendandum est: „quod in tragoedia Agamemnone principem probris lacessisset [3]." Sed ne sic quidem vera Suetonius retulit, vera causa odium Macronis erat [4].

Cremutius Cordus condemnatus est ob Sejani odium, non ob opus, quemadmodum supra ostendi [5].

„Quibusdam custodiae traditis non modo studendi solatium ademptum, sed etiam sermonis et colloquii usus, mori volentibus vis adhibita vivendi et quum quidam poenae maturitatem precaretur, Tiberius dixit: „nondum tecum in gratiam redii." Haec omnia ad unum Asinium Gallum referenda sunt [6].

„In media curia venenum hauserunt"; quod semel factum est a Vibuleno Agrippa [7].

„Immaturae puellae vitiatae sunt." Semel factum est in filia Sejani [8].

---

1) Tac. Ann. VI 11.
2) Tac. Ann. I 74. II II 33. Suet. Tib. 31.
3) Jahrbücher für klass. Philologie 1861, p. 573.
4) Tac. Ann. VI 35. Cf. Sen. Suas. III 22.
5) Cf. ad Tac. Ann. IV 34.
6) Tac. Ann. VI 29. Cf. Dio LVIII 3.
7) » „ VI 46.
8) „ „ V 9.

Cap. 62. „Per totos dies cognitionibus deditus erat"; quod num verum, sit dubito quia Tacitus hac de re tacet. Suetonius libenter omnia in majus auget.

Cap. 63. Quod unum et alterum consularem non dimisit, vel studio ejus tribuendum censeo provinciarum commodis consulendi, vel haesitationi, qua saepius laborabat [1]), vel denique moris, quas proconsulares ipsi necterent [3]).

Cap. 64. „Nurum et nepotes lectica tectos movit." In hoc Tiberius non vituperatione dignus est, si noluit eos ab omnibus aspici.

Cap. 67. Ubi Suetonius notissimam epistolam Tiberii, quam ad senatum misit, refert, dicit Tiberium eam scripsisse semet ipsum pertaesum; quod et odiosum est neque verum [4]).

Cetera documento sunt, quomodo veritas corrumpatur. Pulchra verba Tiberii, quibus appellationem patris patriae recusavit et obstitit, ne in acta sua juraretur, adhibentur ad demonstrandum Tiberium sua facinora praesciisse. Miserum hominem, cujus mores tam prave intellecti sint. [5])

Suetonius de Tiberio quoque agit in vitis Augusti, Caligulae, Claudii, Neronis, Galbae, Othonis, Vitellii et Domitiani. In quibus haec animadvertenda sunt.

---

[1]) Flav. Jos. Ant. Jud. 18, 6, 5.

[2]) Tac. Ann. VI 33.

[3]) Cf. ad. Tac. Ann. I 80.

[4]) Cf. ad Tac. Ann. VI 12.

[5]) Cf. Tac. Ann. IV 38

Calig. Cap. 1, 2. Mors Germanici. Vide ad Tib. 52.

Cap. 4. Consilium Augusti Germanicum adoptandi. Vide ad Tib. 22.

Cap. 6. Metu Germanici Tiberium saevitiam inhibuisse ridicule scriptum est.

Cap. 21. „Caligula opera sub Tiberio semiperfecta, templum Augusti theatrumque Pompeji, absolvit". Cf. quae dixi ad Tib. 47.

Vit. cap. 3. „Vitellius fuit Capreis inter Tiberiana scorta." Vide ad Tib. 43.

Quum demonstraverim Suetonium tot vagos rumores inseruisse et tot falsa retulisse, apparet eum auctorem esse non magnae fidei et nobis concessum esse etiam de iis, quae non constant, dubitare. Hoc praeterea monendum est. Legimus Tiberium a praeceptore appellatum esse: „πηλὸν αἵματι πεφυραμένον", sed non negligendum est hoc in jurgio dictum esse [1]). Quum Suetonius carminum famosorum mentionem faciat, addit haec non ex animi sententia fingi [2]); legimus piscatorem male tractatum esse, sed videmus eum repentino adventu Tiberio timorem incussisse et punitum jactantibus verbis usum [3]). Si perit homo quidam, qui honorem in colonia sua eodem die decerni sibi passus est, quo decreti et Augusto olim essent, factum esse potest, ut vanus jactator [4]) poenam levem saltem mereretur. Hoc tenendum est, si Suetonio auctore de Tiberio judicamus.

---

1) Suet. Tib. 57.
2) » » 59.
3) » » 60.
4) » » 58.

Postquam demonstravi Vellejum et Tacitum non ita multa falsa retulisse, sed illum nimio studio, hunc odio implacabili ductum veritati nocuisse, Suetonium vero multa ementita memoriae prodidisse nullo adhibito judicio et amore quodam omnia in pejus augendi abreptum, paucissimis de Dione absolvam.

CAPUT QUINTUM.

Ante hos paucos annos de fide historica Dionis disputavit D. G. Jelgersma. Diligentissime ea, quae Dio de bello Gallico memoriae prodidit, cum iis, quae a Caesare ipso traduntur, comparavit et luculenter ostendit Dionem, qui rhetor magis quam historicus putandus sit, innumerabiles errores commisisse, eum scripsisse amore et studio ductum, omniumque rerum causas reddidisse, quae saepe ineptissimae sint.

Dio Cassius Coccejanus natus est anno 155, sub compluribus principibus vixit, summis honoribus functus est, anno 229 consulatum obtinuit cum Alexandro Severo et reliquam partem vitae in otio transegit, quum XXII annos operi suo impenderet.

Dionis indoles, quali ex ejus libris cognoscitur, nullo modo laudari potest. Stilus ejus putidus et molestus est, flosculos undique decerptos suis verbis affigit, quos unde collegerit, Vir Cl. Naber ostendit [1]). In Dione legendo statim videmus eum hominem tenuis ingenii fuisse et minime

[1]) S. A. Naber. Over de grondslagen der kritiek van Dio Cassius. 1866. pag. 304.

parem difficili, quod susceperit, negotio. Est valde credulus, ut jam inde apparet, quod tot prodigia memoriae prodidit [1]) et somniis monitus opera sua confecit [2]). Addam duos locos, quibus hoc confirmatur: „Θαυμαστὸν μὲν οὖν τό τινα φωνὴν παρὰ τοῦ δαιμονίου τοιαύτην τῳ γενέσθαι, οὐ μέντοι καὶ ἀπιστεῖν ἔχω [3])" et „τοῦτο μὲν οὕτως ἐγένετο, κἂν μυριάκις τις ἀπιστήσῃ [4])."

Tum invidiae plenum eum fuisse ea ostendunt, quae de Cicerone et de Seneca scribit, quorum famae magnopere detrahit. Non sine studio et ira scribit, si de senatu agit. Nam senator est ipse; principes, qui senatum non magni fecerunt, ei invisi sunt; minime ei gratum est, si senatus turpiter agit. Ubi honores, quos senatus Neroni habuit, memoriae prodit, his verbis se excusat: „τί γὰρ δεῖ περιπλέκειν καὶ οὐκ αὐτὰ τὰ λεχθέντα δηλοῦν; [5])" Veritatem reticet aliquando ob metum Caesarum, teste Xiphilino, dicente [6]) „τοὺς Καίσαρας δεδιώς που καθάπερ εἰκὸς συγκλητικον ὄντα καὶ οὐ τῶν ἀφανῶν οὐδὲ ἱστορίαν ἀφανῆ συντιθέντα". De veritate ejus Xiphilinus dicit: „ἔοικε δὲ ψεύδεσθαι εἴτε ἑκὼν εἴτε ἀκών, οἶμαι τὸ πλέον ἑκών." Hoc tantum addam Dionem res atroces amare, quo factum est, ut a nullo scriptore principes tam atris coloribus depicti sint.

---

1) Xiphilinus hoc ei objicit. Prodigia maxime occurrunt in iis, quae ipse vidit. Dio LXXII 4, LXXXIII 21.

2) Dio LXXII 23, LXXII 23, LXXVIII 10.

3) Dio LV 1.

4) Dio LXVII 18.

5) Dio LXII 20.

6) ed. Dindorf pag. 31.

Consilium, quod scribendo sibi proposuit, cognoscimus ex primo fragmento (ed. Dind.) Omnia memorabilia, quae domi militiaeque a Romanis facta sunt, narraturus est neque omnia scripturus sed judicio adhibito: „ὅσα ἐξέκρινα." Si ei ipsi credimus, veritati studet [1].

Quibus fontibus Dio usus est? Quia ipse de his tacet, quaerendi nobis sunt ex comparatione aliorum scriptorum. Tres quaestiones proponam. Auctoresne inspexit, quos Tacitus et Suetonius non adhibuerunt? Adhibuitne Suetonium? Ususne est Tacito? Quod ad primam quaestionem attinet, apud Dionem aliqua inveniuntur, quae nec Tacitus nec Suetonius tradunt. Inde tamen non colligendum est Dionem e fontibus hausisse a ceteris neglectis, quia fieri potest, ut in iis consulto nonnulla, quae Dio narret, praeterita sint, sed hoc saltem ostendit Dioni Tacitum et Suetonium, si jam eos adhibuerit, non unicos fontes fuisse. Videamus jam, utrùm Dio eos scriptores adhibuerit necne.

Admodum veri simile est Suetonium a Dione adhibitum esse, quia semper scriptor magnae auctoritatis habitus est et ubique apud Dionem dicta et prodigia occurrunt, quae apud Suetonium inveniuntur et quae alius haud facile scire potuit. Quod Dio de literis, quibus Caesar utebatur in occultis rebus perferendis, tradit [2]) apud nullum invenitur nisi apud Suetonium [3]); quod Suetonius in vita Othonis [4]) a patre acce-

---

[1]) Dio LXIII 20.

[2]) Dio XL 9.

[3]) Suet. Caes. 65.

[4]) Suet. Oth. 10.

pisse se tradit, apud Dionem quoque occurrit [1]). Addam nonnulla ex vita Tiberii, in quibus Dio cum Suetonio congruit. Scurram, qui mortuo mandarat, ut Augusto nuntiaret nondum reddi legata, quae plebei reliquisset, Tiberius ad supplicium duci imperavit et patri suo verum referre [2]). Dictum Tiberii erat: „Est boni pastoris tondere, non deglubere oves [3])". Tiberius verbo emblema non utebatur, quia Graecum erat [4]). Sed quid multa in re non dubia?

Difficilius est statuere quidquam de Tacito a Dione adhibito. Dabo illos locos, qui me maxime adducunt, ut credam Dionem Tacito usum esse vel Tacitum et Dionem ex iisdem fontibus hausisse.

Dio LVII 1. simulatio Tiberii, de qua saepe Tacitus agit, v. c. Ann. I 11, IV 71, VI 51.

LVII 2. de Asinio Gallo: „ἑλοῦ ἣν ἂν ἐθελήσῃς μοῖραν", Tac. Ann. I 12: „interrogo, quam partem rei publicae mandari tibi velis", — „πῶς οἷόν τέ ἐστιν τὸν αὐτὸν καὶ νέμειν τε καὶ αἱρεῖσθαι;" Tac. „non decorum est legere aliquid" — „συνεὶς οὖν ὁ Γάλλος ἐν ᾧ κακοῦ ἐγεγόνει, τῷ μὲν λόγῳ ἐθεράπευσεν αὐτὸν, ὑπολαβὼν, ὅτι οὐχ ὡς καὶ τὸ τρίτον ἕξοντός σου, ἀλλ' ὡς ἀδύνατον ὂν τὴν ἀρχὴν διαιρεθῆναι, τοῦτό σοι προέτεινα", Tac. „rursum Gallus (etenim vultu offensionem conjectaverat) non idcirco interrogatum ait, ut divideret, quae separari nequirent, sed et sua confessione argueretur

[1]) Dio LXIV 11, 12.

[2]) Suet. Tib. 57. Dio LVII 14.

[3]) » » 32. Dio LVII 10.

[4]) » » 71. Dio LVII 15.

unum esse rei publicae corpus" — „οὐ μέντοι καὶ τῷ ἔργῳ ἐπιθάσευεν". Tac.: „nec ideo iram ejus lenivit".

LVII 5. Aliquis Germanico gladium dat, quum dicat: „τοῦτο γὰρ ὀξύτερόν ἐστιν. Tac. Ann. I 35: „acutior est".

LVII 12. „πολλοὶ μὲν μητέρα αὐτὴν τῆς πατρίδος πολλοὶ δὲ καὶ γονέα προςαγορεύεσθαι γνώμην ἔδωκαν. ἄλλοι καὶ τὸν Τιβέριον ἀπ' αὐτῆς ἐπικαλεῖσθαι ἐσηγήσαντο." Tac. Ann. I 14. „alii parentem, alii matrem patriae appellandam, plerique ut nomini Caesaris adscriberetur, Juliae filius „censebant". Propter Liviam Tiberius Capreas se contulisse dicitur, quod idem Tacitus Ann. IV 57 dicit.

LVII 17. Postquam Tiberium urbes Asiae restituisse tradidit, Dio addit eum hereditates non adisse. Quae eodem modo conjuncta, apud Tacitum Ann. II 47, 48 occurrunt.

LVII 19. Verba Tiberii ad Galbam: „καὶ σύ ποτε τῆς ἡγεμονίας γεύσῃ. Tac. Ann. VI 26: „et tu quandoque degustabis imperium". Quae verba Suetonius in vita Galbae cap. 4. Augusto tribuit.

LVII 19. τοὺς λόχους ἐς ἓν τεῖχος συνήγαγεν, ὥστε τὰ παραγγέλματα καὶ ἀθρόους καὶ διὰ ταχέων λαμβάνειν' καὶ φοβεροὺς πᾶσιν ἅτε καὶ ἐν ἑνὶ τείχει ὄντας εἶναι. Tac. Ann. IV 3: „dispersas per urbem cohortes una in castra conducendo, ut simul imperia acciperent, numeroque et robore et visu inter se fiducia ipsis, in ceteros metus oreretur."

LVII 24. „Scripta abolita eo magis florent", ut Tac. Ann. IV 35.

LVIII 4. Sejanus erat: „κοινωνὸς φροντίδων. — Tac. Ann. IV 2. „socius laborum."

LVIII 17. „προχειρίσασθαί τε γὰρ αὐτὸν ὅσους ἂν ἐθελήσῃ

σφῶν, καὶ ἐξ αὐτῶν εἴκοσιν, οὓς ἂν ὁ κλῆρος ἀποφήνῃ, φρουροῖς, ὁσάκις ἂν ἐς τὸ βουλευτήριον ἐσίῃ, ξιφίδια ἔχουσι χρῆσθαι ἐψηφίσαντο. Tac. Ann. VI 8: „unam principen orabat deligere senatores, ex quis viginti sorte ducti et ferro accincti, quotiens curiam inisset, salutem ejus defenderent."

LVIII 19. Sententia verborum Terentii ut Tac. Ann. VI 14.

LVIII 22. Plancina inimicitiis Agrippinae defensa, ut Tac. Ann. VI 32.

Hi loci facile augeri possunt. Quia admodum pauca nova Dio dat et ubique congruit cum Suetonio aut Tacito, veri simile est eum aut eos adhibuisse aut iisdem atque illos fontibus usum esse. Jam eos locos enumerabo, ubi Dio a veritate deflexisse videtur.

Dio LVII 1. „Tiberius benevole accipiebat, quem oderat; quem amabat tamquam alieno utebatur; quibus ignoscebat, irascebatur, eum miserebat ejus, quem gravissimis poenis afficiebat." Descriptio morum Tiberii ostendit Dionem hos mores non intellexisse. Apud eum simulatio ad summum fastigium adducitur.

LVII 2. De recusatione imperii egi ad Vell. II 124.

LVII 3. De metu, quem Germanicus Tiberio incussit, ad Suet. Tib. 25.

LVII 11. Fallitur Dio, quum dicit Tiberium saepe ad ludos ire, ut Suetonius nos docet [1]).

LVII 14. Dio contra temporis rationes saepe peccat, mortem nepotis Tiberii, quae post Drusi mortem venit, in annum 15 transfert [2]).

---

[1]) Suet. Tib. 45.

[2]) Tac. Ann. IV 15.

LVII 19. De morte Germanici ad Suet. Tib. 52. „Si quis quid in eum, Augustum vel Liviam dicebat, Tiberius severissime ulciscebatur", quod non verum esse ex Tacito et Suetonio[1]) patet, ubi invenimus eum in se jacta noluisse ad cognitionem vocari.

Miror Dionem vituperare, quod praemia accusatoribus decernantur, quia hoc in antiquis civitatibus semper fieri solebat. Idem tamen apud Suetonium quoque reperitur[2]).

Rumor de Sejano, quem Tacitus[3]) his verbis tradit: „non sine rumore Apicio stuprum veno dedisse", apud Dionem jam tamquam re vera factum legitur.

Sejanus ex similitudine morum Tiberii amicus fuisse dicitur. Una tamen re maxime differunt, quod Sejanus mira arte hominum studia sibi conciliandi praeditus erat, qua Tiberius carebat; Tacitus Sejano etiam simulationem, quo vitio Tiberius maxime ei laborare videtur, objicit[4]).

LVII 21. Architectus porticum sustentasse et ea re Tiberii invidiam commovisse dicitur. Illa invidia non in Tiberii mores cadit, memini me simile quoddam de Hadriano legere, cujus ingenio hoc magis congruit[5]). Tum architectus poculum vitreum dejecisse et quum rumperetur refecisse dicitur; Plinius dicit tamen famam crebriorem quam certiorem esse[6]).

LVII 22. Dio scribit Drusum injuriam a Sejano accepisse:

---

[1]) Tac. Ann. I 72, II 50. Suet. 28.

[2]) Suet. Tib. 61.

[3]) Tac. Ann. IV 1.

[4]) Tac. Ann. IV 1.

[5]) Dio LXIX 3. 4.

[6]) Plin. Nat. Hist. XXXVI 61. Cf. Petr. Sat. 51. Isid. XVI 15.

Tacitus contra tradidit eum Sejano injuriam intulisse [7], quod multo magis veri speciem prae se fert, si Drusi et Sejani mores spectamus.

Hoc capite Dio praeferendus Suetonio et Tacito ob aequum judicium; non accusat Tiberium, quod non palam luctum ostenderit in morte Drusi, neque putat eum filium odisse [1].

„Aelius Saturninus ob carmina ex Capitolio dejectus est". Duae sunt causae, quae hanc rem in dubium vocant, et quod Suetonius talium narrationum appetens tacet et quod Tiberius in ejus modi rebus patientissimus fuit. Haec accusatio quoque invenitur in causa Cremutii Cordi et Mamerci Scauri, qui tamen, quod odium Sejani et Maeronis irritassent, condemnati sunt [2].

LVII 23. Ridiculum est Tiberium maledicta finxisse, ut irasci posset.

Capito condemnatus esse dicitur. Admonendum est duos fuisse Capitones, quorum alter absolutus est [3].

LVIII 1. De causa Sabini egi ad Tac. Ann. IV 68.

LVIII 3. Hoc caput luculentum exemplum exhibet, quam ridiculus saepe Dio sit et quo modo omnia exaggeret: Sejanus omnes nobilium feminas incestasse dicitur.

LVIII 4. Peccat Dio contra temporis rationes, qui tradat Geminium jam ante Sejani ruinam interfectum esse [4], quum fuerit in numero eorum, qui ob Sejani amicitiam occisi essent.

LVIII 21. In morte Nervae enarranda Dio a Tacito

---

[7]) Tac. Ann. IV 3.

[1]) Tac. Ann. IV 8. Suet. Tib. 52. Cf. Dio LVII 14.

[2]) Tac. Ann. IV 34, VI 35.

[3]) Tac. Ann. IV 15, 36.

[4]) Tac. Ann. IV 20.

discrepat [1], qui tali in re praeferendus est. Dio narrat Nervam mortem sibi conscivisse ob leges de re nummaria a Tiberio latas, quod ex se ipso jam falsum videtur.

Dio dicit Tiberium nobilissimos accusatores uno die interfici jussisse, quum Tacitus duos tantum nominet [2].

LVIII 22. Causam Sext. Marii aliter a Dione enarratam invenimus atque a Tacito [3], qui hac in re quoque magis audiendus est tam propter aetatem quam propter indolem.

Tiberius reliquias Drusi occultasse dicitur, quum Suetonius [4] tradat eum easdem dispersisse. Complura nova, quae Dio Taciti et Suetonii narrationi addit, ridicula sunt.

Plancina post mortem Agrippinae demum interfecta esse dicitur, ne Agrippina ex ea re voluptatem caperet. De quo rumore ridiculo jam apud Tacitum egi [5].

LVIII 23. Tiberium Cajum elegisse dicitur, quod sciret nepotem ab eo interfectum iri et quod Cajum pessimum fore suspicaretur, idque ei ob duas causas gratum fuisse, et ut gloriam quaereret ex comparatione [6] et ut nobiles etiam post ejus mortem perirent. Difficile est reperire quidquam, quod magis fatuum et stultum sit. Tacitus tradit Tiberium multum et diu hac de re cogitasse, quia ei in posteros ambitio esset, sed deinde fato permisisse [7].

---

1) Tac. Ann. VI 32.
2) Tac. Ann. VI 36.
3) Tac. Ann. VI 25.
4) Suet. Tib. 64.
5) Tac. Ann. VI 32.
6) De Augusto etiam reperitur Tac. Ann. 10. Suet. Tib. 21.
7) Tac. Ann. VI 52.

Praeclara ratio Tiberii continuandi imperia propter inopiam successorum necessaria fuisse dicitur [1]). Si Dioni hac in re fidem tribuamus, pauci superfuissent, quos Caligula interficere posset. Etiam hic Dio studio omnia in pejus augendi risum movet.

LVIII 24. Nemo a Tiberio absolutus esse dicitur, quod complures loci Taciti refutant [2].

Vera causa accusationis Scauri odium Macronis erat [3]), quum Dio dicat eum accusatum esse propter carmina et incestum Livillae.

„Quia tragoedia „'Ατρεύς" ab eo confecta erat, dictum Tiberii erat: „Eum Ajacem reddam"". Quid Atreus cum Ajace? Emendandum est: „'Ατρείδης", nam Agamemnon recte cum Ajace componitur [4]).

Multos ob Livillam interfectos esse nec veri simile est, nec ab aliis traditur.

LVIII 25. Poppaeus Sabinus Mysiae praefuisse dicitur, quum superiore capite praefectus Poppaeus Labeo appelletur.

LVIII 27. Dio tantopere prodigia aucupatur, ut phoenicem, jam aliquot annis ante visam, huc afferat et inter prodigia de Tiberii morte enumeret.

Tiberius non iratus fuisse senatui dicitur, quum condemnationem reorum rejicerent. Contrarium Suetonius docet [5]).

Nonnulli rei morte Tiberii salutem invenisse dicuntur.

---

[1]) Cf Tac. Ann. I 80.

[2]) Tac. Ann. VI 15, VI 36.

[3]) Tac. Ann. VI 35.

[4]) Jahrbücher für klass. Philologie. 1861. p. 573.

[5]) Suet. Tib. 73.

Etiam hac in re apud Suetonium contrarium invenimus [1]).

LVIII 28. *πλείστας μὲν ἀρέτας, πλείστας δὲ καὶ κακίας ἔχων, καὶ ἑκατέραις ὡς καὶ μόναις κεχρημένος.* Cui talis descriptio morum Tiberii placere potest?

Hi sunt loci, ubi Dio vera non retulisse mihi videtur; alii supersunt, ubi etsi dubitationi locus est, tamen pro certo statuere nihil quidquam possumus. Patet igitur Dionem quoque caute adhibendum esse. Videamus jam de ceteris scriptoribus, ex quibus vita Tiberii cognoscitur.

---

1) Suet. Tib. 75.

CAPUT SEXTUM.

Quam diligentissime potui, omnes deinceps locos collegi, qui ad Tiberii vitam pertinent, quos dispersos huc afferam opinione mea addita, utrum fide digni sint necne.

Ex adolescentia Tiberii nobis tres poetae et unus historicus supersunt, qui ejus mentionem fecerunt. De ejus rebus gestis Livius in libris egit, qui quidem non ipsi supersunt sed quae olim continerent, in Epitomis videmus [1]). Poetae sunt Ovidius [2]), Manilius [3]) et Horatius [4]). Horatius in primis eum laudat, sed quo minus testis in Tiberio defendendo adhibeatur, obstat et exigua poetae auctoritas et quod Tiberium privatum et vivo Augusto tantum cognitum habuit.

Sub principatu Tiberii scripserunt praeter Vellejum Valerius Maximus, Seneca rhetor, Strabo et Phaedrus. Valerius Maximus est auctor nullius auctoritatis quum propter aetatem

---

1) Liv. Ep. 136, 139, 142.

2) Ov. Ex Ponto. III 4.

3) Man. Astron. IV 174.

4) Hor. Carm. IV 4, IV 14. Ep. I 3, I 8, I 12, II 2.

tum propter indolem; si quis alius, stultus est et ineptus auctor, cujus scribendi genus fastidio quemvis implet. Tiberium laudibus extollit, praedicat eum certissimam salutem patriae, cujus coelesti providentia virtutes, de quibus dicturus est, benignissime foveantur, vitia severissime vindicentur [1], optimum principem eum nominat [2], salutarem principem [3], principem parentemque suum [4] et laudat aetatem Tiberii verbis: „qua nulla beatior fuit [5]." Commemorat amorem ejus erga fratrem et documentum hujus amoris dat [6], et laudat Germanicum [7], qui locus magni momenti est, quia ostendit Tiberium Germanicum non odisse, nam alioqui scriptor hac de re tacuisset; in Sejanum denique iis verbis invehit, quae cuivis nauseam movent [8].

Seneca rhetor pauca de Tiberio dicit. Nominat magistrum ejus Theodorum [9], narrat Attalum Stoicum a Sejano circumscriptum solum vertisse [10] et Scaurum Mamercum sub Tiberio a Tusco accusatum esse [11].

Sequitur Strabo, qui anno 17 vel 19 p. C. n. scripsit. Quia bonum tantum initium Tiberii principatus vidit, non

---

1) Val. Max. I Praef.
2) » » II Praef.
3) » » II 9, 6.
4) » » IX 11, 4.
5) » » VIII 13.
6) » » V 5, 3.
7) » » IV 3, 3.
8) » » IX 11, 4.
9) Sen. Suas. III 7.
10) » » II 12.
11) » » III 22.

mirandum est, quod, ubi loquitur de rebus ab eo gestis [1] et de provinciarum statu sub principatu ejus, ubique eum laudat, praecipue pag. 288, ubi addit, Augustum normam Tiberii fuisse [2], nominat magistrum ejus Apollodorum [3] amicitiaeque ejus erga M. Pompejum mentionem facit [4].

Phaedrus lepidam fabulam de Tiberio narrat [5], in qua is jocose deridet atriensem, qui, ardelionum more, multa agendo nihil ageret. Quamquam omnino parum auctoritatis in fabula est, tamen hac in re non dubitare possumus, quum Phaedrus asseveret veram esse fabellam. Ex hac fabula patet Tiberium non tam horridum tyrannum fuisse, ut plerique credunt, quippe qui jocose atriensem alloquatur. Aliud reperimus in prologo quodam, ubi narrat se in fabulis ea, quae odium Sejani irritavissent, scripsisse [6]; nescimus, quae hae fabulae sint. Alius aliam fabulam sibi invenisse visus est; sunt qui putent verba: „qui fictis causis innocentes opprimunt" [7]) et: „Vos quoque, cives, hoc sustinete, majus ne veniat malum" [8], iram Sejani commovisse; alii denique arbitrantur Phaedrum in fabula de ranis ad solem [9] ad nuptias Sejani allusisse et in fabula de graculo [1] hanc bestiam cum

---

1) Strabo p. 206, 292.
2) „ p. 156, 288, 534, 579 et 627 urbes Asiae restitutae.
3) „ p. 625.
4) „ p. 618, quem locum laudavi ad Suet. Tib. 57.
5) Phaedr. II 5.
6) „ III 34, 47.
7) „ I 1, 15.
8) „ I 2, 30.
9) „ I 9.

Sejano comparasse. Praeterea verba: „dulcis est libertas" [2]) et Prologus libri tertii post mortem Tiberii scripta esse putantur. Sed quam haec omnia e meris conjecturis pendeant, praestat in his ignorantiam profiteri.

Sub Caligula Philo Judaeus scripsit. In duobus libris: „Adversus Flaccum" et „Legatio ad Cajum" passim de Tiberio agit. Ejus fides tamen non ita magna est, quia sub Caligula scripsit et sine ullo dubio Tiberius tum desiderari coeptus est. Sed licet concedamus ea, quae scripserit, exaggerata esse, tamen plane falsa esse mihi non videntur, quia ab aliis confirmantur. Summis laudibus prosperitatem imperii extollit: dicit Tiberium severum fuisse erga praefectos provinciae et ne semen belli quidem reliquisse, imperium denique usque ad ejus mortem pace floruisse. De moribus quoque Tiberii Philo agit his verbis [3]) : „πρὸς τὸ σεμνότερόν τε καὶ αὐστηρότερον σχεδὸν ἐκ πρώτης ἡλικίας ἐπικλινῶς εἶχεν, praeterea eum hoc modo laudat: „Φρονήσει βαθείᾳ χρώμενος καὶ τῶν καθ' αὑτῶν ἁπάντων δεινότατος ὢν ἀφανὲς ἀνθρώπων βούλημα συνιδεῖν καὶ ἐπὶ τοσοῦτον συνέσει διενεγκὼν ἐφ' ὅσον καὶ εὐτυχίᾳ. Indigne fert talem virum vituperari. Tiberii juvenis cognomen: „ὁ πρεσβύτης" apud Philonem invenitur. Dicit praeterea Tiberium Judaeis favisse [4]) Cajumque suspectum habuisse [5]); videmus porro Flaccum procuratorem Aegypti amicum Tiberii fuisse, quippe qui valde mortem Tiberii deploraverit. [6])

---

[1]) Phaedr. I 3.

[2]) Phaedr. III 7, 1.

[3]) Philo pag. 551, 586 ed Mangey 1742.

[4]) » pag. 569.

[5]) » pag. 551.

[6]) » Leg. ad Flaccum sub initio.

Caligulae aetate Seneca jam nonnulla opera edidit, quo nullum scriptorem utiliorem ad opiniones sui temporis cognoscendas esse censeo, ita tamen ut de fide ejus in iis, quae de Caesaribus scribat, saepe difficile sit judicare. Senecae juventus in Tiberii Caesaris principatum incidit, ut ipse tradit [1]. Difficillimum est quidquam de tempore, quo Seneca singula opera scripsit, constituere, quod tamen maxime ad rem nostram pertinere arbitror. Si Teuffelum audimus, sub Caligula scripsit Consolationem ad Marciam, quum alii hunc librum sub Claudio scriptum esse putent. Si Senecae fidem in iis, quae de Tiberio narrat, spectamus, scire interest, utrum sub Caligula an sub Claudio ea scripserit, quia Tiberius Caligulae invisus erat, sed a Claudio laudabatur. Quum autem non fieri possit, ut tempus, quo hic liber compositus sit, pro certo statuatur, de alia re agam. Si reputamus Consolationem esse scriptam ad Marciam, filiam Cremutii Cordi, qui sub Tiberio interfectus sit, exspectamus hoc libro Tiberium maxime vituperari. Quum vero Sejanus acerbe corripiatur, Tiberium contra nonnullis locis laudari videmus. Pietas Tiberii erga matrem post Drusi mortem laudatur [2] et Seneca non tam stultus est, ut Tiberio crimini det, quod mortes Germanici et Drusi patienter tulerit [3], quemadmodum Tacitus et Suetonius fecerunt. [4] Eo quod Tiberium laudat ob patientiam mortis Germanici, refutatur odium illud in Germanicum: nam alioqui laus

---

[1]) Sen. Ep. 108 11 22.

[2]) Sen. Cons. ad Marc. IV 2.

[3]) » » » » XV 3.

[4]) Tac. Ann. III 3, V 8. Tuet. Tib. 52.

Senecae ridicula esset. Dignissima, quae legantur, de Sejano et Cremutio Cordo reperiuntur in hoc opere; loquitur de delatoribus, quos Sejanus ut sibi mansuetos sanguine humano pasceret, [1] quae verba ostendunt delatorum auxilio Sejanum usum esse.

Sub Claudio exsul quum esset, scripsit Consolationem ad Polybium. In quo opere facit Claudium dicentem Tiberium cum magno dolore Drusum amisisse sed modum dolendi statuisse. [2] Nihil praeterea in hoc libro reperitur, quod ad rem nostram pertinet.

Post exilium scripsit librum de Tranquillitate animi. Illo opere Sejanum [3] profert ad ostendendum, quam fluxa et inconstans potentia sit.

In Ludo, quem scripsit de morte Claudii, invenitur Tiberium ad deos isse [4]. Hoc non potest significare Tiberium divum factum esse, quod quamquam vel in nonnullis titulis invenitur, tamen satis constat eum non consecratum et inter deos receptum esse. Tiberius conjungitur cum Augusto, qui divus appellatur, quum Caligula praetermittatur. Fateor me parum intelligere, quid Seneca his verbis significaverit.

Sub Nerone Seneca scripsit de Clementia. Unus locus, isque valde notabilis, in illo opere occurrit: „Nemo prima illa Tiberii tempora loquitur [5]." Quo confirmatur id, quod Tacitus et Suetonius memoriae prodiderunt, priorem partem Tiberii principatus multo meliorem fuisse quam posteriorem.

---

1) Sen. Cons. ad Marc. XXII 4 — 8,
2) Sen. Cons. ad Pol. XV 5.
3) Sen. De tranq. animi XI 11. Cf. Juv. Sat. 75—92.
4) Sen. Lud. I 2.
5) Sen. De Clem. I 1. 6.

Libri de Beneficiis complura continent ad Tiberii vitam pertinentia. Tiberius aliquem a creditoribus liberat sed sibi non obligat [1]). Est hoc e moribus Tiberii, qui nullius amorem et studium captabat. Legimus praeterea, Tiberium jussisse omnes, qui pecuniam rogarent, causam in senatu probare, quae res, etsi iis qui rogabant, minime placebat, tamen utilissima fuit [2]). Exemplum aliud horridorum ejus morum legimus, ubi dicit veteri amico: „non memini, quid fuerim [3])"; aliter in tali re agebat Vitellius [4]). Notissima narratio de delatoribus eodem libro extat: servus cuidam anulum detraxit, ne imago Tiberii matula foedaretur [5]), ubi praeterea invenimus sub Tiberio frequentem et paene publicam accusandi rabiem fuisse, quae omni bello civili gravius togatam civitatem confecerit. Addit: „sub divo Augusto nondum hominibus verba sua periculosa erant, jam molesta" [6]).

Post annum 62, ubi Seneca a re publica recessit, confecti sunt libri ad Lucilium: de Providentia, Naturales Quaestiones et Epistolae. In primo opere locus invenitur, qui ostendit sub Tiberio rara munera gladiatoria fuisse [7]). In secundo opere de prodigio sub Sejani interitum agit [8]). In Epistolis plurimi loci occurrunt. Diligentia Tiberii

---

[1]) Sen. De Ben. II 7. 2.

[2]) Sen. De Ben. II 8. 1. Cf. Tac. Ann. I 75.

[3]) Sen. De Ben. V 25. 2.

[4]) Dio LXV 6.

[5]) Sen. De Ben. III 26.

[6]) Sen. De Ben. III 27.

[7]) Sen. De Prov. IV 4. Cf. Tac. Ann. IV 62.

[8]) Sen. Nat. Quaest I 1. Occurrit nomen Tiberii etiam I 15, sed nihil inde proficimus.

commemoratur, qui multa sua manu scriberet, quae ne ministris quidem committenda esse judicaret [1]; legimus Tiberium in Campaniam proficiscentem multa in urbe suspecta et invisa reliquisse [2]; jucundam narrationem invenimus, qua ostenditur Tiberium minime prodigum fuisse [3], praeterea vituperationem Tiberii in prodigum his verbis: „sero experrectus es" [4]; legimus denique Montanum amicitia et frigore Tiberii notum esse [5]. De causa Libonis reperiuntur quaedam, quae Taciti testimonium redarguunt [6]. Nihil de Tiberii libidinibus invenitur, quamquam harum commemorandarum saepius facultas datur, ut loco illo, ubi de secessu agit [7]. Tamen huic rei non multum tribuendum esse intelligo. Consulto omnes locos, quibus Seneca de Tiberio agit, collegi, quia casu in ejus mentionem incidit et aetate Tiberio proximus est.

Sub Nerone de Tiberio narrat quaedam Petronius [8], de quibus jam ad Dionem LVII 21 egi.

Sequitur Plinius, qui anno 77 Tito opus suum dedicavit. De fide ejus dubitare non possumus, quia sine ira et studio scribit et praeterea doctissimus et diligentissimus fuit [9]; complura apud eum reperiuntur, quae ad Tiberium pertinent. De vita ejus haec occurrunt: festinatio in morte

---

1) Sen. Ep. 83, 15.
2) » » 83, 14.
3) » » 94, 42.
4) » » 122, 10.
5) » » 122, 11.
6) » » 70, 10.
7) Sen. De tranq. an. I 13.
8) Petr. Sat. 51.
9) Plin. Ep. III 5.

Drusi memoratur [1]); enumerantur gentes in Alpibus ab eo subjectae [2]), ejus contumeliosus secessus Rhodum inter adversa Augusti resensetur [3]) (quid eodem capite significet: „hinc uxoris et Tiberii cogitationes, suprema ejus cura" obscurum mihi videtur). Mela reus ex procuratione a Tiberio principe arcessitus est [4]); Tiberius sustulit Druidas [5]); XII urbes Asiae restituit [6]); sub eo equester ordo in unitatem venit [7]) et inopia papyri fuit [8]). Capreae appellantur nobiles arce Tiberii [9]); nil additur de libidinibus, quod tamen parvum tantum argumentum affert ad eas denegandas. Majoris pretii sunt loci, ubi de Tiberii moribus agit. Imperiosus sui inter initia principatus fuit [10]); minime comis erat [11]), quibus verbis etiam Tacitus utitur, tristissimus, ut constat, hominum [12]); castigat filium, quia caulem quendam fastidit [13]); juvenis pronior ad vinum fuit, ita ut Pisonem, quia vinosus esset, delegisse dicatur [14]); in senectute severus atque saevus erat [15]).

---

1) Plin. Nat. Hist. ed Jan. VII 20.
2) » III 20 (24).
3) » VII 45 (46).
4) » XIX 6.
5) » XXX 1 (4). Cf Tac. Ann. II 85.
6) » II 84 (86).
7) » XXXIII 1 (8).
8) » XIII 13 (27).
9) » III 6 (12).
10) » XXXIV 8 (19).
11) » XXXV 4 (10). Cf. Tac. Ann. IV 7.
12) » XXVIII 2 (5).
13) » XIX 8 (41).
14) » XIV 22 (38). Cf. Suet Tib. 42.
15) » XIV 22 (38).

Narratio, de qua egi ad Dionem LVII 31, invenitur apud Plinium quoque [1], qui addit: „fama hujus rei crebrior quam certior". Praeterea de oculis Tiberii Plinius idem atque Suetonius narrat [2]; commemorat eum in capillo tondendo interlunia servare solere [3], cum Suetonio congruit, ubi refert eum laurea coelo tonante se coronasse [4]; tradit eum exegisse, ut se sternuentem salutarent [5], quae superstitio plane cadit in hominem, qui, ut Tacitus et Suetonius memoriae prodiderunt, Thrasyllo mathematico summam fidem tribuit. Dictum Tiberii in Apionem a Plinio traditur [6]. In libris de arte duo facta occurrunt, in quibus Tiberius summa laude dignus est. Lysippi statuam, quam in cubiculum transtulit, clamoribus theatri flagitatum, pristino loco collocavit [7] et obsianam imaginem Menelai repertam in hereditate ejus, qui Aegypto praefuerat, remisit [8]. Nihil de obscoena illa tabula, quam Suetonius commemorat [9], invenitur. Praeterea de mensa ejus [10], de laricibus, quibus pontem restituit [11], de fructibus, qui ei in

---

1) Plin. Nat. Hist. XXXVIX 26 (60) Petr. Sat. 51.

2) » XI 57 (54) Suet. Tib. 68. Dio 57, 3.

3) » XVI 39 (75).

4) » XV 30 (40). Suet. Tib. 69.

5) » XXVIII 2 (5).

6) » Praef. 25.

7) » XXXIV 8 (19).

8) » XXXVI 26 (67).

9) Suet Tib. 44; alii loci sunt Plin. Nat. Hist. XXXV 4 (10), XXXV 11 (40), XXXV 10 (36).

10) Plin. Nat Hist. XIII 15 (29).

11) » XVI 38 (74), XVI 40 (76).

deliciis fuerunt et quos ipse invenit [1]), de marmore ejus tempore invento Plinius agit [2]). De Germanico duobus locis [3]) loquitur, quorum alter ad mortem ejus spectat, ubi dicit Pisonem genere morbi defensum esse. Locum, ubi in Sabini mentionem incidit [4]), jam laudavi ad Tac. Ann. IV 68.

Sub Domitiano Flavius Josephus Archaeologiam Judaicam edidit, in quo libro nonnulla de Tiberio narrantur. Quamquam fides Josephi non magni aestimatur, hac in re tamen illam in dubium vocare non possumus, quia fere omnia ab aliis confirmantur. Josephus pluribus verbis agit de Agrippa, qui erat amicus Drusi et Tiberium adire voluit. Hoc fieri non potuit, quia Tiberius noluit amicos Drusi videre [5]), quem locum citavi ad Suet. Tib. 52. Tandem auxilio Antoniae Capreas venit [6]), sed Tiberium offendit et comprehensus est. Josephus tradit praeterea Tiberium semper morari [7]), quae etiam causa fuerit, cur provinciae diu sub eodem praeside manerent [8]), quum tamen id quoque opera data faceret, ut earum saluti prospiceret; Antoniam Tiberio consilia Sejani patefecisse [9]); Germanicum velle „ἶσος πᾶσιν εἶναι [10])" eumque a Pisone veneno

---

1) Plin. Nat. Hist. XIV 1 (3), XIV 6 (8), XV 15 (16), XIX 8 (42), XIX 5 (23), XIX 5 (28).

2) Plin. Nat. Hist. XXXVI 7 (15).

3) » » » VIII 46 (71) XI 37 (71).

4) » » » VIII 40 (61).

5) Flav. Jos. Ant. Jud. 18, 6, 2.

6) » » » » 18, 6, 4.

7) » » » » 18, 6, 5.

8) » » » » 18, 6, 5.

9) » » » » 18, 6, 6.

10) » » » » 18, 6, 8.

interceptum esse [1]; Tiberium de successione dubitasse [2]) et mortem ejus magno gaudio esse acceptam, in primis quia optimatibus multum nocuisset [3].

Judicio Statii [4] de Tiberio non multum tribuendum est, quum adulator Domitiani, qui Tiberium aemulatus est, non ex aequo de eo judicare potuerit. Quod Quinctilianus [5] ejus magistrum Theodorum fuisse dicit, jam aliunde constat. Sub Nerva et Trajano praeter Tacitum et Suetonium Tiberium obiter commemorant Juvenalis et Plinius Minor. Quamquam nego Juvenalem fide dignum esse in omnibus, quae de aetate imperatoria scripsit, tamen hac in re nihil invenire potui, cur ei fidem denegandam putarem. Arte quadam eximia nobis ruinam Sejani proponit [6]. Plinius excusat lectoribus se, quod parum severos versus scripserit exemplo Tiberii se defendens [7], quod adversa fronte pugnat cum Tiberii moribus et cum iis, quae Suetonius narrrat, quod Augustus Tiberio superveniente hilariores sermones abrumperet [8]. Admodum dubia ergo res mihi videtur, sed non satis intelligo, quo modo tali in re Plinius fal sus sit. Tamen quod Plinius ad ejus auctoritatem provocat, quum consulto se Neronem praeterire dicit, significat tempore Plniii imaginem Tiberii nondum tam tristem fuisse. Alio loco

---

1) Flav. Jos. Ant. Jud. 18, 2.
2) » » » » 18, 6, 9.
3) » » » » 18. 6, 10.
4) Stat. Silv. 3, 3, 66.
5) Quint. III 1, 17. Cf. Suet. Tib. 67.
6) Juv. Sat. X 75, 92.
7) Plin. Ep. V 3. 6.
8) Suet. Tib. 8.

scribit: „Dicavit coelo Tiberius Augustum, sed ut majestatis crimen induceret [1]."

Antoninorum aetate Tiberii nomen a Plutarcho commemoratur. Agit is de libertate dicendi sub Tiberio [2], de amicis Sejani a Tiberio interfectis [3], de inquisitione quadam Tiberii [4]. Prodigium narrat, quod asinus ei principatum praedixit [5]; testatur eum numquam medico usum esse [6]; tandem de ejus exilio agit [7]. Praeterea Augusti dictum commemorat, Tiberium eum esse, qui de eadem re numquam bis cogitaret. [8] Hoc mihi suspectum est, nec cum Tiberii moribus quadrat [9]. Hi sunt loci, quibus Plutarchus de Tiberio agit; vehementer autem dolendum est vitam Tiberii ab eo conscriptam periisse.

Gellius duobus locis Tiberii mentionem facit: diligentiam Tiberii ostendit in iis, quae de corona civica constituit [10] et narrat factum, in quo comitas quaedam Tiberii perspicitur, quod Praenestinis beneficium dedit, quia in propinquitate ejus urbis aegrotus fuisset [11]. Quum de

---

1) Plin. Paneg. 11.
2) Plut. De adul. 18 ed. Didot.
3) Plut. De amic. mult. 7.
4) Plut. De defect. orac. 17.
5) Plut. Fragm. 50, 28.
6) Plut. De sanit. praec. 24. An seni sit res publica gerenda. 20.
7) Plut. De exil. 8.
8) Plut. Apopthegmata Augusti.
9) Flav. Jos. Ant. Jud. 18, 6, 5.
10) Gell. V 6, 14.
11) Gell. XVI 10, 5.

edicto in luxuriam agit, dubitat utrum factum sit ab Augusto an a Tiberio [2]. Si Tacitum audimus, prior opinio veri similior est.

Philostratus tribus locis de Tiberio agit. Exemplum dat majestatis criminis [3], quod a Seneca confirmatur; commemorat praeterea commutationem principatus ejus [4]), quae item a Seneca confirmantur et tyrannidem ejus [5]).

Scriptores Historiae Augustae duobus locis ostendunt, quae eo quo vixerunt tempore opinio hominum de Tiberio fuerit. Caracalla Tiberium laudasse [6]) et Heliogabalus omnes apparatus Tiberii et aliorum novisse et spinthrias veterum malorum [7]) vicisse traditur.

Julianus appellat eum acerbum et saevum tyrannum [8]) et pluribus verbis de eo agit in Caesaribus suis. [9])

Tertullianus aliquid novi affert, ubi dicit consilium Tiberio fuisse Christum deum habere [10]), in quo Eusebius [11]), Orosius et Zonaras eum secuti sunt.

Quid multa dicam de epitomatoribus [11]), apud quos tamquam

---

[2]) Gell. II 24, 15. Tac. III 52, 53, 54.

[3]) Philostr. Vita Ap. Tyan pag. 18 Sen. De Ben. III 26.

[4]) » » » » pag. 214 Sen. De Clem. I 16.

[5]) » » » » pag. 292.

[6]) Spart. Car. 2.

[7]) Lamprid. Heliogab. 33.

[8]) Jul. Ep. ad Themistium.

[9]) Jul. Caesares pag. 809. Cf. Suet. Tib. 56 et 60.

[10]) Tert. Apol. 5.

[11]) Euseb. Hist. Eccles. 2 2.

[12]) Sext. Aurelius Victor. De vita et moribus imperatorum Romanorum et De Caesaribus. Eutrop. VII 11. Hist. Misc. VII 23.

monstrum quoddam Tiberius depingitur, de chronographis [1]), de Orosio [2]), de scriptoribus Byzantinis, in quorum numero Zonaras est [3]), qui in vita Tiberii tantum Dionem et Eusebium excerpit, et Malalas [4]) et Zosimus [5]) scriptores inepti et ridiculi, de grammaticis denique, qui Tiberii mentionem fecerunt [6])? Potius his perpauca addam, ut demonstrem, quid archaeologia valeat ad vitam Tiberii illustrandam.

Plurimae statuae Tiberii extant [7]), quae cum formae et habitus descriptione, quam Suetonius et Julianus dederunt,

---

[1]) Eusebius ed. Scaliger pag. 387. Unus error ejus est, quod secundo anno Asinium Gallum interfectum esse memoriae prodidit, in errorem ductus loco Dionis LVII 2. Cassiodorus dat tantum nomina consulum singulorum annorum.

[2]) Oros. VII 4 scribit: »Tiberius ex mansuetissimo principe saevissima bestia exarsit, quia senatus obstitit ejus consilio Christum deum declarandi."

[3]) Zon. X, XI.

[4]) Malalas X pag. 252 ed. Bonn. Ab eo Tiberius »φιλοκτίστης." appellatur.

[5]) Zosimus I 6. 3. Dicit Tiberium Capreas expulsum esse.

Adde Syncellum pag. 605 ed. Bonn.

[6]) ut Photius 242 pag. 340. Suidas II 287. De Tiberu oculorum vitio Isidorus agit, de urbibus Asiae restitutis Phlegon.

[7]) Notissimae sunt: Tiberius juvenis in Museo Turini (Duruy, l'Histoire des Romains p. 125), statua Piperni inventa in Museo Vaticano (Duruy p. 277), statua Vejis reperta in Museo Chiaramonti (Duruy p. 291), statua Capreis reperta in Museo Louvre (Duruy p. 142), imago fronde quernea coronata in Museo Louvre (Duruy p. 306), statua Cervetris inventa in Museo Laterano, imago in Museo Chiaramonti, duae imagines in Museo Capitolino.

congruunt, quas si conspicimus non arbitramur nos saevi tyranni vultum intueri.

Gemmae quoque supersunt, in quibus imagines Tiberii et cognatorum ejus [1]) expressae sunt, inter quas nobilissima est ea, quae Tiberium senem exhibet [2]). Extat quoque praeclarissima gemma Viennae, in qua triumphus Tiberii de Pannonia nobis ante oculos ponitur [3]).

Sejanus eo praefulget, quod effigies ejus non visitur, ut praeclaris illis verbis Taciteis [4]) utar; nam ostendit, quanta ad unam omnes imagines ejus deletae sint, quum ubique locorum reperirentur olim et adorarentur.

Pauca tantummodo aedificia ex Tiberii aetate supersunt, neque id mirandum, quia princeps opera nulla magnifica fecit [5]). Aedes Tiberii, quae postea bibliotheca fuit [6]), castra praetorianorum consilio Sejani facta [7]), basis monumenti, quod urbes Asiae restitutae Puteolis in Tiberii honorem struxerunt [8]), arcus Arausione erecta post tumultum Sacroviri [9]) et pons Tunesiae facta [10]) adhuc reperiuntur. In primis Capreis com-

---

[1]) Tiberius, Duruy p. 152. 294 et 302; Livia, Duruy p. 148; Drusus Tiberii filius, Duruy p. 287 et 309; Germanicus, Duruy p. 303; Agrippina, Duruy p. 314; Antonia, Duruy p. 350.

[2]) Duruy p. 336.

[3]) gemma Augustalis. Duruy p. 127.

[4]) Tac. Ann. III 76.

[5]) Suet Tib. 47.

[6]) Duruy p. 295.

[7]) Stahr. Ein Winter in Rom. p. 199.

[8]) Winckelmann. Gesch. der Kunst. XI 2 19.

[9]) Duruy p. 325.

[10]) » p. 301.

plures reliquiae, cum Tiberii nomine conjunctae, extant, ubi Tiberius adhuc in ore hominum versatur sub nomine: „Timberio", ubi vinum quoddam lacrimae Tiberii appellatur, ubi vulgus credit Tiberium equo insidentem in monte quodam inveniri, ubi ostenditur locus: „salto di Tiberio", de quo victimas Tiberius dejecisse fertur, ubi denique reliquiae plurimarum Tiberii villarum ostenduntur, quarum notissima villa Jovis [1]).

Sequuntur nummi. Duo sunt, qui locos Taciti confirmant, quorum alter inscriptionem habet: „Signis receptis devictis Germaniis [2])", alter: „Civitatibus Asiae restitutis [3])", qui nummi in Museo numismatico Hagano reperiuntur [4]).

In Hispania nummus inventus est, in quo nomen Sejani erasum est [5]), quod etiam odium contra Sejanum ostendere videtur.

Extat nummus Tiberii cum inscriptione: „Clementiae et Moderationi", sed ridiculum esset inde colligere Tiberium his virtutibus praeditum fuisse.

Capreis inventi sunt nummi, qui ad spinthrias pertinent, qui ad confirmandas libidines Tiberii saepe adhibiti sunt. Sed complura huic rei obstant, primum quod hi nummi passim in Italia, non tantum Capreis reperti sunt, deinde quod

---

1) Cf. Gregorovius, Wanderjahre I.

2) Tac. Ann. II 41.

3) Tac. Ann. II 47, 48.

4) Inveniuntur apud Cohen, Déscription historique des monnaies frappées sous l'Empire. Describit eos Eckhel, Doctrina veterum Nummorum 1796, qui pag. 182—201 de nummis Tiberii agit.

5) Eckhel pag. 196.

imagines Augusti et Claudii etiam in his tesseris extant, tum vero quod, si Tiberius ea flagitia commisisset, ea potius occulturus fuisset [1]).

Venio ad titulos aere vel lapide expressos. Initium faciam a duobus inscriptionibus nuper repertis. Altera, Cypri inventa, reperta, agit de cultu in honorem Tiberii instituto [2]), altera Mylasis continet verba: „Τιβέριον τὸν ἑαυτοῦ εὐεργέτην [3])". Pergam ad titulos jam diu notos. In Kalendario Antiatium invenimus Tiberium mense Novembri natum esse [4]); in Kalendario Praenestino eum mense Aprili togam virilem sumpsisse, et in Illyrico mense Augusto victoriam reportasse [5]); ex eodem comperimus eum pontificem maximum factum esse mense Martio [6]). De Libone agit Kalendarium Amiterni, de Sejano ibidem haec verba inveniuntur: „sublato hoste Sejano" [7]). Extat lapis, qui ostendit die natali Tiberii duumviros Florentiae sacrificium instituisse genio Augusti et Tiberii [8]). Saepe Tiberius laudatur, v. c. „Providentia Ti Caesaris nati ad aeternitatem", in aede Concordiae: „pro salute optimi ac justissimi principis [9])", „princeps et conservator [10])". Marmor extat, cui inscriptum est: „Ossa Tib. Caesaris Divi Aug. F. Aug. Pont. Max.

[1]) Cohen libro laudato Praef. XXII, XXIII.
[2]) Philologus 1866.
[3]) Bulletin de Correspondance Hellénique Juin 1881 pag. 41.
[4]) Orelli Inscript. 6445. 686, 5359.
[5]) » » 6445.
[6]) » „ 686.
[7]) » „ 689.
[8]) „ „ 686.
[9]) „ „ 25.
[10]) „ „ 616, 617.

Tr. Pont. XXXIX. Imp. VIII. Cos. V [1]). Superest denique titulus: „Divus Tiberius" [5]) et alius, ubi flamen Tiberii commemoratur [3]), de quo jam egi ad Sen. Lud. I 2. Reliquos, ut minoris momenti, silentio praetereo.

Omnes hi tituli ad Tiberii historiam illustrandam pausissima conferunt, quae non aliunde nota sunt. Quum utilissimi sint ad tempora cognoscenda et honores dignitatesque perspiciendas, ex rerum natura nihil continent, quod ad mores pertinet.

Ad finem perveni inquisitionis meae, qua opiniones virorum doctorum confirmare conatus sum quaque probare volui et Tiberium multarum rerum crimine absolvendum esse et ejus historicos in graves errores incidisse. Magnum fructum mei laboris me percepisse arbitrabor, si saltem aliquid attulero ad veritatem historicam illustrandam, de qua Polybius praeclare haec scripsit [6]): „*καί μοι δοκεῖ μεγίστην θεὸν τοῖς ἀνθρώποις ἡ Φύσις ἀποδεῖξαι τὴν ἀλήθειαν καὶ μεγίστην αὐτῇ προςθεῖναι δύναμιν. πάντων γοῦν καταγωνιζομένων, ἐνίοτε καὶ πασῶν τῶν πιθανοτήτων μετὰ τοῦ ψευδοῦς ταττομένων, οὐκ οἶδ' ὅπως αὐτὴ δι' αὐτῆς εἰς τὰς ψυχὰς εἰςδύεται τῶν ἀνθρώπων, καὶ ποτὲ μὲν παραχρῆμα δείκνυσι τὴν αὐτῆς δύναμιν, ποτὲ δὲ καὶ πολὺν χρόνον ἐπισκοτισθεῖσα, τέλος αὐτὴ δι' ἑαυτῆς ἐπικρατεῖ καὶ καταγωνίζεται τὸ ψεῦδος.*

---

[1]) Orelli Inscript. 688.
[4]) Orelli Inscript. 691.
[5]) „ „ 6276.
[6]) „ „ 2317.
[7]) Pol. XIII 5.

THESES.

I.

Vell. II 130. Quid hic (i. e. Tiberius) meruit, primum ut scelerata Drusus Libo iniret consilia?

Legendum est: ut scelerata Drusi Libonis subiret consilia.

II.

Tac. Ann. II 70. Nec Piso moratus ultra navis solvit, moderabaturque cursui, quo propius regrederetur, si mors Germanici Suriam aperuisset.

Emendandum est: quo properius regrederetur.

III.

Tac. Agr. 15. plus impetus, majorem constantiam penes miseros esse.

Post „impetus" inserendum est „penes" vel „apud felices."

IV.

Suet. Aug. 40. Negotium aedilibus dedit, ne quem

posthac paterentur in foro circave nisi positis lacernis togatum consistere.

Legendum est: circove.

V.

Suet. Cal. 47. Scripsit et procuratoribus, triumphum appararent quam minima summa, sed quantus numquam alius fuisset, quando in omnium hominum bona jus haberent.

Ante »quam" inserendum est „non".

VI.

Suet. Ner. 34. Matrem, facta dictaque sua exquirentem acerbius et corrigentem gravabatur.

Legendum est: corripientem.

VII.

Suet. Ner. 31. Accersitam mulierem (i. e. Locustam) sua manu verberavit arguens, pro veneno remedium dedisse.

Emendandum est: post venenum.

VIII.

Suet. Galb. 10. E primoribus... velut instar senatus... instituit.

Legendum est: concilium instar senatus.

IX.

Suet. Vesp. 5. Arbor quoque cupressus in agro avito sine ulla vi tempestatis evulsa.

Ex Dione (LXVI 1) patet legendum esse summa vi.

X.

Dio LXVIII 1, 2. *καὶ αἱ ἀψῖδες πλεῖσται δὴ ἐνὶ ἀνδρὶ ποιούμεναι καθῃρέθησαν.*

Post „ἐνὶ" inserendum est „γε".

XI.

Dio LXVIII 7, 3. *πολλάκις καὶ τέταρτος ᾠχεῖτο.*

Post „τέταρτος" „αὐτὸς" excidit.

XII.

Hom. Il. X 127.

ἵνα γάρ σφιν ἐπέφραδον ἠγερέθεσθαι.

Scribendum est: *ἵναπερ.*

XIII.

Hom. Od. XI 337.

εἶδός τε μέγεθός τε ἰδὲ φρένας ἔνδον ἐΐσας.

Legendum est: *ἐούσας.*

XIV.

Hom. Od. XX 273.

οὐ γὰρ Ζεὺς εἴασε Κρονίων, τῷ κέ μιν ἤδη παύσαμεν
ἐν μεγάροισι, λιγύν περ ἐόντ' ἀγορητήν.

Emendandum est: *εἰ γὰρ.*

XV.

Eur. Alc. 36.

ἣ τόδ' ὑπέστη πόσιν ἐκλύσασ'
αὐτὴ προθανεῖν Πελίου παῖς.

Scribendum est: *τόθ'.*

XVI.

Eur. Hec. 1185.

πολλαὶ γὰρ ἡμῶν, αἱ μὲν εἰσ' ἐπίφθονοι,

αἱ δ' εἰς ἀριθμὸν τῶν κακῶν πεφύκαμεν.

Pro „ἐπίφθονοι" legendum est „ἄνευ ψόγου."

XVII.

Eur. El. 68.

ἐν τοῖς ἐμοῖς γὰρ οὐκ ἐνύβρισας κακοῖς.

Emendandum est: σὺ τοῖς.

XVIII.

Eur. Cycl. 250.

τὰ καινά γ' ἐκ τῶν ἠθάδων, ὦ δέσποτα,

ἡδίον' ἐστίν.

Pro γ' ἐκ scribendum est: γοῦν.

XIX.

Eur. Cycl. 299.

νόμος δὲ θνητοῖς, εἰ λόγους ἐπιστρέφει.

Scribendum est: νόμους.

XX.

Thuc. I 126. καθίζουσιν ἐπὶ τὸν βωμὸν [ἱκέται] τὸν ἐν τῇ ἀκροπόλει.

Verbum: „ἱκέται" rejiciendum est.

XXI.

Plat. Crit. 45 B. πολλαχοῦ μὲν γὰρ καὶ ἄλλοσε ὅποι ἂν ἀφίκῃ.

Legendum est: κἂν ἄλλοσέ ποι ἀφίκῃ.

XXII.

Plat. Crit. 51 C. ὅμως προαγορεύομεν [τῷ ἐξουσίαν πεποιηκέναι] Ἀθηναίων τῷ βουλομένῳ ἐξεῖναι.

Verba uncinis inclusa tamquam emblema rejicienda sunt.

XXIII.

Plat. Crit. 53 A. οὕτω σοι διαφερόντως τῶν ἄλλων Ἀθηναίων ἤρεσκεν ἡ πόλις τε καὶ [οἱ νόμοι] ἡμεῖς [δῆλον ὅτι].

Verba inclusa expungenda sunt.

XXIV.

Plat. Tim. 25 B. αὕτη δὴ πᾶσα ξυναθροισθεῖσα εἰς ἓν ἡ δύναμις.

Removenda est dittographia „εἰς ἕν," quae etiam scribitur: „εἰς α."

XXV.

Luc. Hermot. 12. σκύφον Νεστορεῖον.

Scribendum est: Μεντορεῖον.

XXVI.

Luc. De salt. 37. Ῥέας ἀπάτην [λίθου ὑποβολήν].

Verba inclusa e textu movenda sunt.

XXVII.

Sen. Ep. 28, 2. In irritum cedit ista jactatio.
Scribendum est: cadit.

XXVIII.

Sen. Ep. 108, 22. Alienigena tum sacra movebantur.
Emendandum est: removebantur.

XXIX.

Sen. Phaedr. 578.

Ignibus junges aquas
et amica ratibus ante promittit vada
incerta Syrtis.

Scribendum est: promittet vada infesta.

XXX.

Octavia. 105.

Toleranda quamvis patiar; haud umquam queant
nisi morte tristi nostra finiri mala.

Pro „quamvis" legendum est „tamquam".

XXXI.

Octavia. 138.

et pretium stupri
justae maritum conjugis captat caput.

Scribendum est: poscit.

XXXII.

App. Met. III 8. ut tam dirae factionis funditus formido peremat u r.

Legendum est: prematur.

XXXIII.

App. Met. V 1. Semideus vel certe deus.

Emendandum est: „deus vel certe semideus" sive: „semideus vel forte deus."

XXXIV.

Ov. Met. XIII 491.

Osculaque ore tegit.

Scribendum est: figit.